

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs  
antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Orationum Volumen Primum

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

M Tvllii Ciceronis Pro A Licinio Caecina Oratio XII

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764059)

M. TULLII. CICERONIS  
PRO. A. LICINIO CAECINA  
ORATIO. XII

**I**, quantum in agro, locisq. desertis audacia potest, tatum in foro, atque in iudicijs impudentia ualeret; non minus nunc in causa cederet. A. Caecina Sex. Aebutij impudētia, quam tum in ui facienda cessit audaciae. uerum & illud considerati hominis esse putauit, quae de re iure decerni oporteret, armis non contendere; & hoc constantis, quicum ui & armis certare uoluisset, eum iure iudicioq. superare. Ac mihi quidem cum audax praecipue fuisse uidetur Aebutius in conuocandis hominibus, & amandis, tum impudens in iudicio; non solum, quod in iudicium uenire ausus est; (nam id quidem, tametsi improbe fit in aperta re, tamen malitia est iam usitatum) sed quod non dubitauit id ipsum, quod arguitur, confiteri. nisi forte hoc rationis habuit, quoniam, si facta uis esset moribus, superior in possessione retinenda non fuisset: quia contra ius moremq. facta sit, A. Caecinam cum amicis metu perterritum profugisse: nunc quoque in iudicio, si causa more institutoq. omnium defendatur, nos inferiores in agendo non futuros: sine consuetudine recedatur, se, quo impudentius egerit, hoc superiorem discessurum. quasi uero aut in iudicio possit idem improbitas, quod in ui confidentia: aut non eo libentius tum audaciae cesserimus, quo nunc impudentiae facilius obisteremus. itaque longe alia ratione, Recuperatores, ad agendam causam hac actione uenio, atque initio uenerantur enim nostrae causae spes erat posita in defensione mea, nunc in confessione aduersarij; tum in nostris, nunc uero in illorum testibus. de quibus ego antea laborabam, ne, si improbi essent, falli aliquid, dicerent; si probi existimarentur, quod dixissent, probarent. nunc sum animo aequissimo. si enim sunt uiri boni, me adiuuant, cum id iurati dicunt, quod ego iniuratus infimulo: sin autem minus idonei, me non laedunt, cum, siue creditur ijs hoc ipsum, quod nos arguimus, confitentur, siue fides non habetur, de aduersarij testium fide derogatur. uerum tamen, cum illorum causae actionem considero; non uideo, quid impudentius dici possit: cum autem uestram in iudicando dubitationem; uereor, ne id, quod uidentur impudenter fecisse, astute, & callide fecerint. nam, si negassent uim hominibus armatis esse factam, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur: sin confessi essent, & id, quod nullo tempore iure fieri potest, tum ab se iure factum esse defenderent, sperarunt id, quod affecti sunt, se iniecturos uobis causam de liberandi, & iudicandi iustam moram, ac religionem. simul illud, quod indignissimum est, futurum arbitrati sunt, ut in hac causa non de improbitate Sex. Aebutij, sed de iure civili iudicium fieri uideretur. Qua in re si mihi esset unius A. Caecinae causa agenda, profiterer satis idoneum esse me defensorem; propterea quod fidem meam diligentiamq. praestarem: quae cum sunt in actore causae, nihil est, in re praesertim aperta ac simplici, quod excellens ingenium requiratur. sed, cum de eo iure mihi dicendum sit, quod pertineat ad omnes, quod constitutum sit a maioribus, conseruatum usque ad hoc tempus, quo

sublato non solum pars aliqua iuris deminuta, sed etiam uis ea, quae iuri maxime est aduersaria, iudicio confirmata esse uideatur; uideo summi ingenij causam esse; non uti demonstraretur, quod ante oculos est; sed ne, si quis uobis error in tanta re sit obiectus, omnes potius me arbitrentur causae, quam uos religioni uestrae defuisse. Quamquam ego mihi sic persuadeo, Recuperatores, non uos tam propter iuris obscuram dubiamq. rationem bis iam de eadem causa dubitare, quam, quod uidetur ad summam illius existimationem hoc iudicium pertinere, moram ad condemnandum acquisisse, simul & illi spatium ad sese colligendum dedisse. quod quoniam iam in consuetudinem uenit, & id uiri boni uestri similes in iudicando faciunt; reprehendendum fortasse minus, querendum uero magis etiam uidetur: ideo quod omnia iudicia aut distrahendarum controuersarum, aut puniendorum maleficiorum causa, reperiuntur: quorum alterum lenius est, propterea quod & minus laedit, & per saepe disceptatore domestico diiudicatur: alterum est uehementissimum, quod & ad grauiora res pertinet, & non honorariam operam amici, sed seueritatem iudicis, ac uim requirit. quod est grauius, & cuius rei causa maxime iudicia constituta sunt, id iam mala consuetudine dissolutum est. nam, ut quaeque res est turpissima, sic maxime, & maturissime iudicanda est. at ea, in qua existimationis periculum est, tardissime iudicatur. qui igitur conuenit, quae causa fuerit ad constitutum iudicium, eandem moram esse ad iudicandum? si quis, quod spondit, qua in re uerbo se uno obligauit, id non facit; maturo iudicio, sine ulla religione iudicis condemnatur: qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatum, aut fiduciae rationem fraudauit quempiam, in eo, quo delictum maius est, eo poena est tardior. est enim turpe iudicium, & factum quidem turpe. uidete igitur, quae iniure accidat, quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi; quia turpis existimatione sequatur, ideo rem indignam non iudicari. At, si quis mihi hoc iudex, Recuperator ue dicat; potuisti enim leniore actione configere: potuisti ad tuum ius faciliore & commodiore iudicio peruenire: quare aut muta actionem; aut noli mihi instare, ut iudicem: tamen is aut tibi midior uideatur, quam fortem, aut cupidior, quam sapientem iudicem esse aequum est, si aut mihi praescribat, quemadmodum meum ius persequar, aut ipse id, quod ad se delatum sit, non audeat iudicare. etenim, si praetor, is, qui iudicia dat, numquam petitori praestituit, qua actione illum uti uelit: uidete, quam iniquum sit, constituta iam re, iudicem, quid agi poterit, aut quid possit, non quid actum sit quaerere. uerum tamen nimiae uestrae benignitati pareremus, si alia ratione ius nostrum recuperare possemus; nunc uero quis est, qui aut uim, armatis hominibus factam, relinqui putet oportere, aut eius rei leniorem actionem nobis aliquam demonstrare possit? ex quo genere peccati, ut illi clamitant, uel iniuriarum, uel capitis iudicia constituta sunt, in eo potestis atrocitatem nostram reprehendere? cum uideatis nihil aliud actum, nisi possessionem per interdi-

ctum

Etum esse repetitam uerum, siue uos existimationis illius periculum, siue inuis dubitatio tardiores fecit adhuc ad iudicandum; aliterius rei causam uosmetipsi iam uobis, saepius prolato iudicio, sustulistis; alterius ego uobis hodierno die causam profecto auferam, ne diutius de controversia nostra, ac de communi iure du-

biteris. & si, forte uidebor altius initium rei demonstrandae perisse, quam me ratio iuris, & ius, de quo iudicium est, & natura causae coegerit; quaeso, ut ignoscatis: non enim minus laborat A. Caecina, ne summo iure egisse, quam ne certum ius non obtinuisse uideatur.

## EXPLANATIO

**R**O A. Caecina. Liciniae gentis Caecinam esse, docet Gellius lib. VI. cap. 16. **Q**UANTVM in agro, & uidetur ab iniuria aduersarij, qui Caecinam ui hominibus armatis de fundo deiecerit. **ARMIS non contendere**, & cessu enim audaciae. **CONSTANTIS**, & qui causam deserere, suoq. de iure decedere noluerit. **MALITIA** & uenit enim in iudicium, qui malam causam habet, ut bonam habere uideatur. **CONFITERI** & coactis, armatisq. hominibus a se de fundo esse deiectum. **MORIBVS**, & non ferro, ut ab ipso factum est, sed uetere iudiciaria consuetudine, cum litigantes in rem praesentem, id est in eum agrum, de quo lis erat, communi consilio uenirent; ibiq. alter alterum ui quadam non uera, & solida, sed ficta, & adumbrata, repelleret; & qui repulsus erat, interdictum a praetore de armatis hominibus impetraret, ut, unde deiectus erat, restitueretur. **Infra**: Placuit Caecinae de amicorum sententia constituere, quo die in rem praesentem ueniretur, & de fundo Caecina moribus deduceretur. **Et post**: Cum & constitutum diem, tempusq. uenisset, ut ius ac deductio moribus fieret, pulsus, prohibitumq. esse ui, coactis hominibus, & armatis, **QVO impudens egerit**, & qui non dubitet id ipsum, quod arguitur, de ui scilicet armis facta, confiteri. **HAC actione** & ampliata bis iam causa erat: cum recuperatores non liquere, iudicassent. **SIVE creditur ijs**, & uel minus idoneis. **DEROGATVR**, & uel quia sint minus idonei uel quia mentiuntur, utroque enim modo, si uiri boni non sunt, de illorum fide derogatur. **DUBITATIONEM**; & iudicatam in eo, cum, Amplius, pronunciatistis. **NON DE improbitate Sex. Aebutij**, & qui alienum fundum occuparit, dominumq. hominibus armatis & deiecerit, & deiectum fateri non dubitet. **ILLIUS** & Aebutij. **DISCEPTATORE** & iudice. **QVOD est grauius**, & de puniendis maleficijs. **IUDICIA maxima constituta sunt**, & nam illud alterum, quod est leuius, & in quo distrahuntur, ac dirimuntur conuersionis, per saepe disceptatore domestico transigitur. **DISSOLVTVM est**, & neglectum. **ATEA**, & haec, quae nunc agitur. **EXISTIMATIONIS periculum** & existimationis Aebutij paulo ante: **Quod uideatur ad summam illius existimationem hoc iudicium pertinere**. **QVAE causa fuerit ad constituendum iudicium**, & causa puniendi maleficij, quod Aebutius Caecinam ui & armis de fundo deiecerit, proxime dixit: **Quod est grauius**, & Cuius rei gratia maxime iudicia constituta sunt. **EANDEM** & quod existimationis in ea periculum sit **SINE ulla religione iudicis**, & mature eum condemnare iudici religio non est. **EST enim turpe iudicium**, & quo damnatum sequitur infamia. **ET TURPE quidem factum** & id, quod commissum est, ex quo oritur iudicium. **QVIA res indigna sit** & quia turpe sit illud, quod commissum est. **SEQVITUR**; si reus dampnetur. **IDEO rem indignam non iudicari**, & notat recuperatores, qui serius ideo iudicent, bis iam ampliata causa, quod ex eo iudicio turpem existimationem sequi uideant. **Inique accidit**, inquit, cum indigna & flagitiosa res ideo non iudicatur, id est ideo differtur, ac sero iudicatur, quia turpis existimatio sequatur: cum existimatio turpis ideo sequatur, quia res indigna, flagitiosaq. sit. **LEUIORE actione** & qua turpis existimatio non sequeretur. **CONFLIGERE**; & Confligere, & Conflitari, de litibus usurpantur. **PRAETOR**, & urbanus. **QVA ACTIONE illum uti uelit**; & liberum ei relinquit, ut suum ius, quo uelit iudicio, persequatur. **CONSTITUTA iam re** & constituto in ter Caecinam & Aebutium iudicio. **IUDICEM**, & eum, de quo supra: **At, si quis mihi hoc iudex, recuperatorue dicat**. **QVOD agi potuerit**, & quia potuerim leuiore actione confligere. **Hoc refertur ad illud supradictum**. **Potuisti enim leuiore actione confligere**: potuisti ad tuum ius faciliore, & commodiore iudicio peruenire. **AUT quid possit** & qua si adhuc mutari actio possit, supra: **Aut muta actionem**: aut noli mihi instare, ut iudicem. **NON QVOD actum sit**, & non quae sit actio iam instituta, uenimus enim ad hoc iudicium, ut contra Aebutium interdicto ageremus de ui hominibus armatis. **NIMIAE** & erga Aebutium. **RELINQVI** & sileri a nobis, **ET QVO genere peccati**, & ex illaui. **VT ILLI clamitant**, & de nobis expostulantes, quasi atrociores, quam oporteat, sumus. **CVM uideatis nihil aliud actum**, & a nobis. **ESSE repetitam** & in quo quae atrocitas est? an non suam cuique possessionem per interdictum praetoris licet repetere? **ALTERIUS rei causam** & existimationis Aebutij periculum. **VOSMETIPSI** & non enim iudicium amplius proferre uobis licet. **SAEPIVS** & oratorie, nam bis tantum prolato erat iudicium. **ALTERIUS causam** & iuris dubitationem, **IUS**, de quo iudicium est, & res ipsa, de qua constitutum iudicium est. **NON enim minus laborat** & ita suum ius persequitur Caecina, ut humanitati tamen satisfactum a se uelit. **laborat ille quidem**, ut certum ius obtineat, fundumq. suum recuperet, non minus tamen, ne summo iure egisse uideatur. **SUMMO iure** & quod reprehendi solet unde illud: **Summum ius, summa iniuria**.

## O R A T I O

**M** Fulcinius fuit, Recuperator, e municipio Tarquinienſi: qui & domi ſuae cum primis beneſtus exſtimatus eſt, & Romae argentariam non ignobilem fecit. is habuit in matrimonio Caefenniam, eodẽ e municipio ſummo loco natam, & probatiſſimam feminam, ſicut & uiuus multis ipſe rebus oſtendit, & in morte ſua teſtamento declarauit. huic Caefenniae fundum in agro Tarquinieſi uendidit temporibus illis diſſicillimis ſolutionis. cum ueretur dote uxoris numerata, quo mulieri eſſet res cautior, curauit ut in eo fundo collocaretur. aliquando poſt, iam argentaria diſſoluta, Fulcinius huic fundo uxoris cõtinẽtia quaedã praedia, atque adiuncta mercatur. moritur Fulcinius: (multa enim, quae ſunt in re, quia remota ſunt a cauſa: praetermittam) teſtamento facit heredem, quem habebat e Caefennia, filium fructum omnium bonorum ſuorum Caefenniae legat, ut fruereſſet una cum filio. magnus bonus uiri iucundus mulieri fuiſſet, ſi diuturnum eſſe licuiſſet. fruereſſet enim bonis cum eo, quem ſuis bonis heredem eſſe cupiebat, & ex quo maximum fructum ipſa capiebat: ſed hunc fructum matuſſe fortuna ademit: nam breui tempore M. Fulcinius adoleſcens mortuus eſt: heredem P. Caefennium fecit: uxori grande pondus argenti, matrique partem bonorum maiorem legauit: itaque in partem mulieres uocatae ſunt. cum eſſet haec auctio hereditaria conſtituta, Aebutius iſte, qui iam diu Caefenniae uiduitate, ac ſolitudine aleretur, ac ſe eius in familiaritatem inſinuaſſet hac ratione, ut cum aliquo ſuo compendio negotia mulieris, ſi qua acciderent, controuerſiasque ſuſciperet, uerſabatur quoque eo tempore in his rationibus auctioſis, & partitionis, atque etiam ſe ipſe inſerebat, & intrudebat; & in eam opinionem Caefenniam adducebat, ut mulier imperita nihil putaret agi callide poſſe, ubi non adeſſet Aebutius. quam perſonam iam ex quotidiana cognoſcit ſe uita, Recuperatores, mulierum aſſentatoris, cognoſtoris uiduorum, deſenſoris nimium litigioſi, concili aduixam, inepti ac ſtulti inter uiros, inter mulieres periti iuris, & calidi; hanc perſonam imponite Aebutio: is enim Caefenniae fuit Aebutius, ne forte quaeratis, non propinquus eſt nihil alienius. amicus aut a patre, aut a uiro traditus eſt nihil minus. quis igitur? ille, quem ſupra deſormaui, uoluntarius amicus mulieris, non neceſſitudine aliqua, ſed ſicẽ officio, ſimulatque ſedulitate coniunctus, magis opportuna opera nõ numquã, quam aliquando fideli. Cum eſſet, ut dicere inſtitueram, conſtituta auctio Romae; ſuadebant amici cognatique Caefenniae id, quod ipſi quoque mulieri in mentem ueniebat: quoniam poteſtas eſſet emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo eius antiquo continens eſſet, nullam eſſe rationem, amittere cuiſmodi occaſionem, cum praefertim pecunia ex partitione deberetur: nuſquam eam poſſe melius collocari. itaque mulier ſacere conſtituit. mandat, ut fundum ſibi emat. cui tandem? cui putatis? annon in mentem uenit hominis illius ad hoc munus, & ad omnia mulieris negotia parati, ſine quo nihil ſatis caute, nihil ſatis callide agi poſſet? recte attenditis. Aebutio negotium datur. adeſt ad tabulam, licetur Aebutius: deterren-

tur emptores multi, partim gratia Caefenniae, partim etiam pretio: fundus addicitur Aebutio: pecuniam argentario promittit Aebutius. quo teſtimonio nuntius optimus utitur, ſibi emptum eſſe. quaſi uero aut nos ei negemus addictum; aut tum quiſquam fuerit, qui dubitarit, quin emeretur Caefenniae, cũ id plerique ſciant, omnes fere audiſſet, hi cõiectura aſſe qui poſſent; cum pecunia Caefenniae ex illa hereditate deberetur; eã porro in praedijs collocari maxime expediret; eſſent autem praedia, quae mulieri maxima conuenirent; ea uenirent; liceretque, quem Caefenniae dare operam, nemo miraretur, ſibi emere nemo poſſet ſuſpicari. hac emptione facta, pecunia ſolutur a Caefennia. cuius rei putat iſte rationẽ reddi non poſſe, quod ipſe tabulas auerterit: ſe autẽ habere argentarij tabulas, in quibus ſibi expenſa pecunia lata ſit, acceptaque lata: quaſi id aliter fieri oportuerit. cũ omnia ita facta eſſent, quẽ admodũ nos defendimus, Caefennia fundũ poſſedit, locauitque, neque ita multo poſt A. Caecinae nupſit. ut in pauca cõſerã, teſtamento facto mulier moritur. facit heredẽ ex deinceps, & ſemuncia Caecinam, ex duabus ſextulis M. Fulcinius, libertũ ſuperioris uiri, Aebutio ſextulã adſpergit. hanc ſextulam illa mercedẽ iſti eſſe uoluit adſiduiſſe, et moleſtiae, ſi quam ſuſceperat. iſte autẽ hac ſextula ſe anſam retinere omnium controuerſiarum putat. ita principio auſus eſt dicere, non poſſe heredem eſſe Caefenniae Caecinam, quod is deteriore iure eſſet, quã ceteri ciues, propter incommoſum Volaterranorum, calamatẽque ciuile. itaque homo timidus, imperiſque, qui neque animi, neque conſilij ſatis haberet, non putauit eſſe tanti hereditatem, ut de ciuitate in dubium ueniret: conceſſit, credo, Aebutio, quantiũ uellet de Caefennia bonis ut haberet, immo ut uiro forti, ac ſapienti dignũ fuit ita calumniam ſtultitiamque obtrivuit, ac contudit. in poſſeſſione bonorum cum eſſet, & cũ ipſe ſextulã ſuam nimium exaggeraret, nomine heredis arbitri familiariae excuſandae poſtulauit, atque illis paucis diebus, poſtea quam uidet nihil ſe ab A. Caecina poſſe litium terrore abraderẽ, homini Romae in foro denunciat, ſũdum illum, de quo ante dixi, cuius iſtum emptorẽ demonſtrari fuiſſe mandato Caefenniae, ſũũ eſſe, ſeque ſibi emiſſe. quid ais? tuus ille fundus eſt, quẽ ſine ulla controuerſia quadriennium, hoc eſt, ex quo tempore fundus uenit, quoad uixit, poſſedit Caefennia? Uſus enim, inquit, eius, & fructus fundi teſtamento uiri fuerat Caefenniae. Cum hoc nouae litis genus tam malicioſe inſtuderet, placuit Caecinae de amicorum ſententia conſtituere, quo die in rem praefentem ueniretur, & de fundo Caecina moribus deduceretur. colloquuntur: dies ex utriuſque cõmodo ſumitur. Caecina cum amicis ad diẽ uenit in caſtellum Axia: ex quo loco fundus is, de quo agitur, nõ longe abeſt. ibi certior fit a plaribus, homines permultos liberos, atque ſeruos coegiſſe, & armaſſe Aebutium. cum id partim mirarentur, partim non crederet, ecce ipſe Aebutius in caſtellum, uenit, denunciat Caecinae ſe armatos habere, abiturum eũ non eſſe, ſi acceſſiſſet. Caecinae placuit, & amicis, quoad uideretur ſaluo capite fieri poſſe, ex periri. tũ de caſtello deſcendunt, in fundũ proſciſcuntur. uidetur temere cõmiſiſſe. uerũ, ut opinor, hoc fuit cauſa: ita temere iſtũ re cõmiſiſſe. uerbis

uerbis nunciabatur, nemo putauit. atque iste ad omnes introitus, qua adiri poterat non modo in eum fundum, de quo controuersa fuerat, sed etiam in illum proximum, de quo nihil ambigebatur, armatos homines opponit. itaque primo cum in antiquum fundum ingredi uellet, quod ea proxime accedi poterat; frequentes armati obstitērunt. quo loco depulsus Caecina, tamen qua potuit, ad eum fundum profectus est, ex quo ex conuentu uim fieri oportebat. eius autem fūdi extremam partem oleae directo ordine definiunt. ad eas cum accederetur, iste cum omnibus copij praefo fuit, seruumque suum nomine Antiochum ad se uocauit, & clara uoce imperauit, ut eum, qui illum olearum ordinem intrasset, occideret. homo mea sen-

tentia prudentissimus, Caecina, tamen in hac re plus mihi animi, quam consilij, uidetur habuisse. nam, cum & armatorum multitudinem uideret; & eam uocem Aebutij, quam commemorauit, audisset; tamen accessit propius; & iam ingrediens intra sinem eius loci, quem oleae terminabant, impetum armati Antiochi ceterorumque tela, atque incursum refugit. eodem tempore se in fugam conferunt una amici, aduocatiq. eius metu perterriti; quemadmodum illorum testem dicere audistis. His rebus ita gestis, P. Dolabella praetor interdixit, ut est consuetudo, de ui hominibus armatis, sine ulla exceptione, tantum, ut unde deiecisset, restitueret. restituisse se dixit. Sponsio facta est. hac de sponsione uobis iudicandum est.

## EXPLANATIO

**CERTVM** ius? nam, dubio, iure, non litigaret. **VENDIDIT**? dotalem esse uoluit: ipse ex dote pecuniam accepit. **TEMPORIBVS** illis? ciuiliū bellorum tempora sine dubio significantur. **DIFFICILIMIS**? cum iacerent pretia praediorum. pro Q. Roscio. Accepit agrum temporibus ijs, cum iacerent pretia praediorum. Hoc ideo Cicero dicit, ne uideatur Fulcinius uxori suae magno fundum uendidisse. nam, si uendit temporibus difficillimis, certe non magno uendit, nec ut sibi lucrum paret, sed ut res mulieri sit cautior. **SOLVTIONIS**? ferti potest: Latinum enim, difficile solutionis tempus: glossēma tamen esse potuit. **VI frueretur una cum filio**? hoc nisi esset additum, ex usu fructu detractus esset triens. Nouell. Constit. Iust. lib. IV. **MAGNVS** honos uiri? in legando ei usufructu bonorum omnium. honorat enim is, qui moritur, eum, cui aliquid legat: quippe nihil legaret, nisi mores eius, & amorem erga se probaret. Propterea dixit in ea pro Quinctio: Heredem reliquit hunc P. Quinctium: ut, ad quem summus maetor morte sua ueniebat, ad eundem summus honos quoque perueniret. **MAXIMUM** fructum? pro, maximam uoluptatem: aut, Maximum fructum, quem ex filio mater multis rebus caperet. **COGNITORIS** uiduorum,? qui uiduorum negotia curet: quo facilius lucrum sibi paret ex mulierculis imperitis, quam si cognitor uiuorum esset. **DEFORMAUI**,? non, descripsi, aut designaui, sed probrois uerbis pro eius merito deformaui. **ANTIQVO**? quem ipsa emerata uiro. **AD TABVLAM**,? in qua scripta bona essent, quorum auctio fieri deberet, prope argentarias tabernas in foro. **HI**? argentarius, & qui aderant, uel qui audierant. **DARE operam**? ut cognitorem. **SOLUITVR**? Aebutio datur, argentaria soluenda. **A CAESENNA**.? non, soluitur a Caesennia, sed, soluitur, accepta a Caesennia. est enim loquendi modus, exemplis satis notus. ut ep. ad Att. lib. VII. Frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio soluat. **TABVLAS**? Caesenniae. **SIBE expensa lata, sit, acceptaq. relata**? sibi expensa lata, tamquam debitori: accepta relata, tamquam creditori, pecunia argentario soluta. **EX DEVNCE**, & **semuncia**? undecim hereditatis partes cum dimidia significantur. nam, deunx, undecim unciae sunt. As autem totam hereditatem ostendit. **DVABVS sextulis**? sextula uinciae sexta pars fuit. tres igitur sextulae dimidium unciae. **SEXTVLAM aspergit**? festiue, tamquam de aqua. nam & sextula mensura fuit. **ANSAM retinere**? locutus de sextula, tamquam de uase, apte subiunxit, Ansam retinere: cum significet, occasionem habere. **INCOMMODOVM** Volaterranorum,? quos uictor Sulla, ut studiosos Marianorum partium, multis affecerat incommotis. **HOMO timidus**,? Caecina. ironia est. **IN POSSESSIONE bonorum cum esset**? Aebutius. **FAMILIAE heriscendae**? rei diuidendae. **TAM malitiose**? qui usum fructum Fulcinij testamento, non Caesenniae emptioni tribueret. **MORIBVS**? ut solet inter bonos uiros, non ui, & armis. Sic in exordio: Si facta nis non esset moribus. Et infra: Ut uis, ac deductio moribus fieret. **DEDUCERETVR**? Si restituere Aebutius noller. Apparet igitur, notio litis genere iam occupatum esse fundum illum ab Aebutio, sibi emptum esse dicente, & argentarij tabulis probante. **IN FVNDVM**? quae tamen ingressi non sunt, armatis obstitentibus. **ANTIQUVM**? quem a uiro suo Caesennia emerat. **EX CONVENTV**? ut inter eum & Aebutium conuenerat. **VIM fieri**? moribus. supra: Placuit Caecinae de amicorum sententia constituere, quo die in rem presentem ueniretur, ut de fundo Caecina moribus deduceretur. **INTERDIXIT**,? interdicitum de ui hominibus armatis Caecinae dedit, ut, unde eum deiecisset Aebutius, eo restitueret. **SINE ulla exceptione**,? interdicitis addi interdum solebat exceptiones: ut si Dolabella praetor interdixisset, ut unde Caecina Aebutius deiecisset, eo restitueret, ac addita exceptione, Extra quam si deiecisset, ex eo loco, quem ipse possideret. Harum exceptionum tribus Cicero utitur exemplis, in libris de Inuent. In primo his uerbis: Si, iudices, id quod Epaminundas ait legis scriptorem sensisse, adscribat ad legem, extra quam si quis reip. causa exercitum non tradiderit; patiemini? Altera exceptio haec est lib. II. Cum ad uim faciendam quidam armati uenissent; armati contra praefo fuerunt. & cuidam equiti Romano quidam ex armatis resistenti gladio manum praecidit. agit is, cui manus praecisa est. iniuriarū. postulat is, quicum agitur, a praetore exceptionē. Extra quā si in reū capitis praeciudicium fiat. **Hic is, qui agit, iudicium purum postulat**: ille, quicum agitur, exceptionē addi ait oportere. Tertia est in

QQ eodem

eadē extremo libro. Homines mortales necesse est interire sine adiunctione: ut cibo utantur, non necesse est: nisi cū illa exceptione, Extra quam si nolint fame perire. tam in e. p. ad A. ut lib. V. De Bibuli, inquit, edito nihil noui praeter illam exceptionē, de qua tu ad me scripseras, Nimis graui praecudicio in ordinem nostrum. ego tamen habeo *ισοδυναμίας*, sed tectiorem, ex Q. Mucij P. P. edito Asiatico, Extra quam si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat, ex fide bona Caecina igitur purum interdictum, sine ulla exceptione. impetrauerat a praetore: Ne quid afferretur morae, quo minus, unde esset deiectus, eo statim restitueretur. infra: Vim, quae ad caput & ad uitam pertinet, restitui sine ulla exceptione uoluerunt. RESTITUISSE se dixit. & hoc falsum est: sed, cum, significare uellent, deiectum aliquem non esse, ideoq; nec restituendum, restituisse se dicebant, molestiae causa, ut praetoris decreto paruifese uiderentur, infra quoque: Si me iullicus tuus solus deieciisset; non familia deieciisset, ut opinor, sed aliquis de familia; recte igitur diceres te restituisse? Et: Si glebis, aut saxis, aut fructibus aliquem de fundo praecipitem egeris, iussusq; sis, quem hominibus armatis deieceris. restituere; restituisse te dices? SPONSIO facta est. & a Caecina sic, Ni hominibus armatis deiectus sum: ab Aebutio sic, Si hominibus armatis Caecinam deieci.

## O R A T I O

**M**Axime fuit optandum Caecinae, Recuperatores, ut controuersiae nihil haberet; secundo loco, ut ne cum tam improbo homine; tertio, ut cum tam stulto haberet. etenim non minus nos stultitia illius subleuat, quam laedit improbitas. improbus fuit, quod homines coegit, armavit, coactis, armatisq; uim fecit. laesi in eo Caecinam: subleuauit ibidem: nam, in eas ipsas res, quas improbilissime fecit, testimonia sumpsit, & eis in causa testimonijs utitur. itaque mihi certum est, Recuperatores, ante quam ad meam defensionem, meosq; testes uenio, illius uti confusione, & testimonijs, quid confutetur? atque ita libenter confutetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri uideatur, Recuperatores? conuocauit homines, coegi, armavit, terrore mortis, ac periculo capitis, ne accederes, obstiti. ferro inquit, ferro (& hoc dicit in iudicio) te reieci, atque perterrui. Quid? testes quid aiunt? P. Uertilius propinquus Aebutij, se Aebutio cum armatis seruis uenisse aduocatum: quid praeterea? fuisse complures armatos. quid aliud? minatum esse Aebutium, Caecinae. Quid ego de hoc teste dicam, nisi hoc, Recuperatores? ut iccirco non minus ei credatis, quod homo minus idoneus habetur, sed ideo credatis, quod ex illa parte id dicit, quod illi causae maxime est alienum. A. Terentius, alter testis, non modo Aebutium, sed etiam se ipsum arguit. in Aebutium hoc dicit, armatos homines fuisse: de se autem hoc praedicat Antiocho, Aebutij seruo, imperasse, ut in Caecinam aduenientem cum ferro inuaderet. quid loquar amplius hoc de homine? in quem ego dicere, cum rogarer a Caecina, numquam uolui, ne arguere illum rei capitalis uiderer: de eo dubito nunc, quo modo aut loquar, aut taceam, cum ipse hoc de se iuratus praediceret. Deinde L. Coelius non solum Aebutium cum armatis dixit fuisse compluribus, uerum etiam cū aduocatis perpaucis euenisse Caecinam. de hoc ego teste detrahbam, cui, aequae atque meo testi, ut credatis, postulo? P. Memmius secutus est, qui suum non paruum beneficium commemorauit in amicos Caecinae, qui sese uia per fratris sui fundum dedisse dixit, qua effugere possent, cum essent metu omnes perterriti. huic ego testis gratias agam, quod & in re misericordem se praebuit, & in testimonio religiosum. A. Atilius, & eius filius L. Atilius, & armatos ibi fuisse, & se suos armatos aduocasse, dixerunt, etiam hoc amplius: cum Aebutius

Caecinae malum minaretur, ibi tum Caecinam postulasse, ut moribus dedecetio fieret. Hoc idem P. Rutilius dixit, & eo libentius dixit, ut aliquo in iudicio eius testimonio creditum putaretur. Duo praeterea testes nihil de ui, sed de ipsa emptione fundi dixerunt, P. Caesennius, auctor fundi, non tam auctoritate graui, quam corpore, & argentarius Sex. Clodius, cui nomen est Pbormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Pbormio; nihil de ui dixerunt, nihil praeterea, quod ad uestrum iudicium pertineret. Decimo uero loco testis expressatus, & ad extremum referuatus dixit. senator, populi R. splendor ordinis, decus atque ornamentum iudiciorum, exemplar antiquae religionis, Fidiculanus Falcula: qui cum ita uehemens, acerq; uenisset, ut non modo Caecinam per iurio suo laederet, sed etiam mihi uideretur irasci; ita eum placidum, mollemq; reddidi, ut non auderet, sicut meministis, iterum dicere, quot millia fundus suus abesse ab urbe. nam, cum dixisset, minus abesse L. I. I. I.; populus cum risu acclamauit ipsa esse: meminerant enim omnes, quantum in Albiano iudicio accepisset. In eum quid dicam, nisi id, quod negare, non possit? uenisset in consilium publicae quaestionis, cum eius consilij iudex non esset; & in eo consilio, cum causam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere; dum, incognita re iudicare uoluisset, maluisse condemnare, quam absolueri: cum, si uno minus damnarent, condemnari reus non posset, non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem praesto fuisse. utrum grauius aliquid in quempiam dici potest, quam ad hominem condemnandum, quem numquam uidisset, neque audisset, adductum pretio esse? an certius quidquam obijci potest, quam quod is, cui obijciatur, ne nutu quidem infirmare conatur? uerum tamen is testis, (ut facile intelligeretis cum non assuise animo, cum ab illis causa ageretur, testesq; dicerent, sed tantisper de aliquo reo cogitasse) cum omnes ante eum dixissent testes, armatos cum Aebutio fuisse complures; solus dixit, non fuisse, uisus est mihi primo ueterator intelligere praeclearē, quid causa optaret; & tantummodo errare, quod omnes testes infirmaret. qui ante eum dixissent: cum subito ecce idem qui solet, suos solos seruos armatos fuisse dixit: Quid huic tu homini facias? nonne concedas interdum.

interdum, ut excusatione summae stultitiae, summae improbitatis odium deprecetur? *Vtrum*, Recuperatores, his testibus non credidistis, cum, quid liqueret, non habuistis? *At* controuersia non erat, quin uerum dicerent. *An* in coacta multitudine, in armis, in telis, in praesenti metu mortis, perspicuo periculo caedis, dubium uobis fuit, an esse uis aliqua uideretur, nec ne? quibus igitur in rebus uis intelligi potest, si in his non intelligitur? *An* uero illa defensio uobis praeclara uisa est? non deieci, sed obtuli: non enim te sum passus in fundo ingredi, sed armatos homines opposui, ut intelligeres, si in fundo pedem posuisses. Statim tibi esse pereundum. Quid ais? *is*, qui armis perterritus, fugatus, pulsus est, non uidetur esse deiectus? posterius de uerbis uidebimus: nunc rem ipsam ponamus, quam illi non negant; & eius rei ius, actionemq. quaeramus. Est haec res posita, quae, ab aduersario non negatur; Caecinam, cum ad constitutam diem, tempusq. uenisset, ut uis ac deductio moribus fieret, pulsus prohibituq. esse ui coactis hominibus, & armatis. cum hoc constet, ego, homo imperitus iuris, ignarus negotiorum, ac litium, hanc puto me habere actionem, ut per interdictum, meum ius teneam, atque iniuriam tuam persequar. fac in hoc errare me, nes ullo modo posse per hoc interdictum id assequi, quod uelim: te uis in hac re magistro uolo. quaero, sit ne aliqua huius rei actio, an nulla? conuocari homines propter possessionis controuersiam non oportet: armari multitudinem iuris retinendi causa non conuenit: nec iuri quidquam tam inimicum, quam uis: nec aequitati quidquam tam infestum est, quam conuocari homines, & armari. Quid cum ita sit, resq. eiusmodi sit, ut in primis a magistratibus animaduertenda esse uideatur; iterum quaero, sit ne ius rei, aliqua actio, an nulla? nullam esse dices? audire, cupio, qui in pace, & otio cum manum fecerit, copias pararit, multitudinem hominum coegerit, armarit, instruxerit, homines inermes, qui ad constitutum, experiundi iuris gratia, uenissent, armis, uis, terrore, periculoq. mortis repulerit, fugarit, auerterit, hoc dicat: Feci equidem, quae dicis, omnia, & ea sunt & turbulenta, & temeraria, & periculosa: quid ergo est? impune feci? nam, quid agas mecum ex iure ciuili, ac praetorio, non habes. Ita

ne uero, Recuperatores? hoc uos audietis? & apud uos dici patiemini saepius? cum maiores nostri tanta diligentia, prudentiaq. fuerint, ut omnia omnium non modo tantarum rerum, sed etiam tenuissimarum iura statuerint, persecutiq. sint, ut hoc genus unum uel maximum praetermitterent, ut, si qui me exire domo mea coegisset armis, haberem actionem; si qui introire prohibuisset, non haberem? Nondum de Caecinae causa disputo: nondum de iure possessionis nostrae loquor: tantum de tua defensione, C. Piso, quaeror. Quando ita dicis, & ita constituis; Si Caecina, cum in fundo esset, inde deiectus esset, tum per hoc interdictum eum restitui oportuisse; nunc uero deiectum nullo modo esse inde, ubi non fuerit; hoc interdicto nihil nos assecutos esse: quaero, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati non modo limine te quoq. aedium tuarum; sed primo aditu uestibuloq. prohibuerint, quid acturus sis? monet amicus meus te L. Calpurnius, ut idem dicas, quod ipse antea dixit, iniuriarum. quid ad causam possessionis? quid ad restituendum eum, quem oportet, restitui? quid denique ad ius ciuile, aut ad aetoris animaduersionem ages actionem, & ad iniuriarum? plus tibi ego largiar. non solum egeris, uerum, etiam condemnaris licet: numquid magis possidebis? actio enim iniuriarum non ius possessionis assequitur, sed dolorem imminutae libertatis iudicio poenaq. mitigat. praetor interea Piso tanta de re tacebit? quem admodum te restituat in aedes tuas, non habebit? qui dies totos aut uim fieri uetat, aut restitui factam iubet, qui de fossis, de cloacis, de minimis aquarum itinereque controuersis interdictis, is repente obmutescet? in atrocissima re quid faciat, non habebit? & C. Pifone domo testisq. suis prohibito, prohibito, inquam, per homines, coactos, & armatos, praetor, quem admodum more & exemplo opitulari possit, non habebit? quid enim dicet? aut quid tu tam insigni accepta iniuria, postulabis? unde ui prohibitus sis, nemo umquam interdixit. nouum est, non dico inusitatum, uerum omnino inauditum. Unde deiectus? quid proficies, cum illi hoc respondebunt tibi, quod tu nunc mihi? armatos se tibi obtulisse; ne in aedes accederes: deijci porro nullo modo potuisse, qui non accesserit.

## EXPLANATIO

**S**VMP SIT, & id Cicero transfert ad commodum causae suae: quasi testibus Aebutij probare possit, Caecinam esse deiectum: cum tamen ijs uteretur Aebutius, ut prohibitum esse, non deiectum, probaret. **MINVS IDONEVS** & non bonus nam & supra, cum loqueretur de testibus opposuit, uiri boni, & minus idonei. **EX ILLA PARTE** & Aebutij. **REI CAPITALIS** & quod Antiocho imperauerit, ut in Caecina aduenientem cum ferro inuaderet. **VT ALIQUO IN IUDICIO** & quasi reliquis in iudicijs ei credi non solum soleret, **AUCTOR FUNDI**, & uenditor, alienator. idem enim ualeat Auctor. unde Festus: Fuit dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est auctor. **NEC MINUS NIGER, nec minus confidens**, & Confidens quidem apud Terentium appellatur parasitus ille Phornio, non tamen niger: sed habet rationem Cicero histrionis, colore nigro parasitum agentis in scena. **SENATOR** & solus senator ex Aebutij testibus. **IUDICIORVM**, & corruptum significat in Oppianici iudicium. ut in or. pro Cluentio. **EXEMPLAR ANTIQUAE RELIGIONIS**, & qui nihil aut in dictis, aut in factis contra quam religio praescribit, committeret: qui talis est in religione seruanda, quales fuisse ueteres illos memoriae proditum est. **IPSA ESSE**: & tot plane esse: ambiguo sensu: nam, cum de fundo uideretur dicere, de pecunia dicebat, quam in Oppianici iudicio acceperat. **PUBLICAE QAESTIONIS**, & cum ueneficij accusaretur Oppianicus. **NON ASSUISSE ANIMO**, & alias res egisse, alia cogitasse. **DE ALIQUO REO** & quem, accepta pecunia, uel absolueret, uel condemnare posset. **VETERATOR** & homo callidus & astutus.

In Verrem lib. III. Deinde in hoc homo luteus, etiam callidus ac ueterator esse uult. Quid causa optaret? optabat enim, ut diceretur, quod ille dixit, armatos cum Aebutio non fuisse. TANTUM MODO errare, et festiue: quasi leuis quidam error esset, omnes testes, qui ante dixerant, infirmare. SVOS solos seruos? ita suum ipse testimonium infirmavit: & qui uisus fuerat, quid causa optaret, intelligere, postea, quod contra causam esset, dixit. Quid huic tu homini facias? et antiqua locutio. In Verrem lib. II. Quid huic homini facias? lib. V. Quid Cleomeni fiet? CVM, quid liqueret, non habuistis? et cum bis, non liquere, iudicatis. QVIN uerum dicerent, et cum eorum testimonio consentirent. EST HAEC res posita, et constat hoc iam. NON negatur, et id enim testes eius dicunt. In quo se illa excusabat Aebutius, non a se Caecinam de fundo deiectum, sed repulsum, ne, quem ipse fundum possidebat, in eum ingrederetur. VIS et uis illa ciuili sine armis. MORIBVS et in prooemio: Si facta uis non esset moribus. Et alio loco: Quo die in rem praesentem ueniretur, & de fundo Caecina moribus deduceretur. Ego homo imperitus iuris, et non loquitur de se ipso, sed utitur exemplo extrinsecus assumpto: quasi dicat: cum hoc constaret, quid facere potuit quiuis homo imperitus iuris, nisi quod a nobis factum est, ut per interdictum & suum ius teneret. & iniuriam acceptam persequeretur? Ex IVRE ciuili ac praetorio, et aliae sunt I. C. aliae praetorum actiones, ex quibus duplex ius constituitur. Hoc genus unum et cum indignatione. id enim significat. An maiores nostri tenuissimarum rerum iura persecuti sunt, ut hoc genus uel maximum praetermitterent? DOMVM tuam et facile poterat Aebutius, quiq. pro illo agebant, hoc refellere. Si domus tua est; qui te aditu prohibuerunt, recte contra eos ex interdicto ages. at fundum, quo prohibitus, ac repulsum es, tuum esse non constat, mea possessio est: eam si defendo, cur, quasi de tuo fundo deiectus, mecum agis? INIURIAM et acturus es: haec tamen actio, inquit Cicero, te non restituet. ACTORIS et eius, qui domo sua repulsum est, nam ad eum actio pertinet. AD ANIMADVERSIONEM, et ut animaduertatur, & cognoscatur id, quod commissum est. TACEBIT? et non dabit interdictum, ut, unde ui prohibitus sis, eo restituaris? C. PRISONAE et C. Calpurnio Pisonae, Aebutij defensore. VNDE VI prohibitus sis, et ut eo restituaris, nemo unquam praetor interdixit? hoc dici non potest. nouum. inuitatum, inauditum est. ergo impetrabis interdictum ut nos quoque impetrauimus. VNDE deictus? et mutat uerba, ut maiorem ostendat iniuriam in deiciendo, quam in prohibendo. an inquit, unde deiectus sis, ut eo restituaris, nemo unquam interdixit? Si dices, interdici solere: quid proficies? tibi enim respondebunt idem aduersarij tui, quod tu mihi nunc.

## O R A T I O

DELICTOR ego, inquis, si quis meorum deiciatur. Omnino iam bene agis: a uerbis enim recedis, et aequitate uteris. nam, uerba ipsa si sequi uoluimus, quo modo tu deiceris, cum seruus tuus deiecitur? ueritas est, uti dicis: te deicta deo intelligere, etiam si actus non fueris; non ne? Age nunc, si ne quidem tuorum, quisquam loco motus erit, atque omnes in aedibus adseruati, ac retenti, tu solus prohibitus, et a tuis aedibus ut atque armis perterritus: utrum hanc actionem habebis, qua nos usi sumus, an aliam quampiam, an omnino nulla? nullam esse actionem dicere in re tam insigni, tanquam atroci, neque prudentiae, neque auctoritatis tuae est. alia si qua forte est, quae nos fugerit, dic quae sit: cupio discere haec si est, qua nos usi sumus: te iudice uincamus, necesse est. non enim uereor, ne hoc dicas, in eadem causa eodem interdicto te oportere restitui, Caecinam non oportere. etenim cui perspicuum non sit, ad incertum reuocare, bona, fortunas, possessiones omnium si ulla ex parte sententia huius interdicti deminuta, aut infirmata sit? si auctoritate iurorum talium, uis armatorum hominum iudicio approbata uideatur, in quo iudicio non de armis dubitatum, sed de uerbis quae situm esse dicatur? Is ne apud nos obtinebit causam suam, qui se ita defenderit: Eieci ego te armatis hominibus, non deieci: ut tantum facinus non in aequitate defensionis, sed in una littera latuisse uideatur? huiusce rei uos statuatis nullam esse actionem, nulli experiundi ius constitutum, quod obstiterit armatis hominibus, qui, multitudine coacta, non introitu, sed omnino aditu quampiam prohibuerit? quid ergo? hoc quam habet uim?

ut illa res aliquid aliqua ex parte differre uideatur utrum, pedem cum intulero, atque in possessionem uestigium fecero, tum expellam, atque deiciam; an in eadem ui, atque iisdem armis mihi ante occurratur, ne non modo intrare, uerum etiam adspicere, aut adspirare possim. qui hoc ab illo differt? et ut ille cogatur restitui, qui ingressum expulerit; ille, qui ingrediens repulerit, non cogatur et uidere, per deos immortales, quod ius nobis, quam condicionem uobismet ipsis, quam denique ciuitati legem constituere uelitis. huiusce generis una est actio, per hoc interdictum, quo nos usi sumus, constituta. ea si nihil ualet, aut si ad hanc rem non pertinet, quid negligentius, aut quid stultius maioribus nostris dici potest, qui aut tantae rei praeter miserint actionem, aut eam constituerint, quae nequaquam satis uerbis causam et rationem iuris amplecteretur? periculosum est, dissolui hoc interdictum: captiosum est omnibus, rem ullam constitui eiusmodi, quae cum armis gesta sit, rescindi iure non possit: uerum tamen est turpissimum illud, tantae stultitiae prudentissimos homines condemnari, ut nos iudicetis, huius rei interdictum, atque actionem in mentem maioribus nostris non uenisse. Queramus, inquit, licet tamen hoc interdicto Aebutius non teneatur. Quid ita? quod uis Caecinae facta non est dici in hac causa potest, ubi arma fuerint, ubi coacta hominum multitudo, ubi instructi, et certis locis cum ferro homines collocati, ubi minae, pericula, terroresque mortis, ubi uim non fuisse? Nemo, inquit, occisus est, neque sanguis. Quid ais? cum de possessionis controuersia, et de priuatorum



priuatorum hominum contentione iuris loquamur, cui uim negabis esse factam, si caedes, & occisio facta non erit? ego exercitus maximos saepe pulsos & fugatos esse dico terrore ipso, impetuq. hostium, sine cuiusquam non modo morte, uerum etiam uulnere. etenim, Recuperatores, non ea sola uis est, quae ad corpus nostrum, uitamq. peruenit, sed etiam multo maior ea, quae, periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco saepe, & certo de statu dimouet: itaque saucij saepe homines, cum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt, neque eum relinquunt locum, quem statuerunt defendere: at alij pelluntur integri: ut non dubium sit, quin maior adhibita uis ei sit, cuius animus sit perterritus, quam illi, cuius corpus uulneratum sit. quod si ui pulsos dicimus exercitus esse eos, qui metu, ac tenui saepe suspitione periculi fugerunt; & si non solum impulsu scutorum, neque conflictu corporum, neque ictu comminus, neque coniectione telorum, sed saepe clamore ipso militum, aut instructione, ad spectuq. signorum magnas copias pulsas esse, & uidimus, & audimus: quae uis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? & quod uehemens in re militari putatur, id leue in iure ciuili tud. cabitur? & quod exercitus armatos mouet, id aduocationem rogatorum non uidebitur mouisse? & uulnus corporis magis istam uim, quam terror animi declarabit? & sauciatio quaeretur, cum fugam factam esse constabit? tuus enim testis hoc dixit, metu perterritis nostris aduocatis, locum, qua effugerent, demonstrasse. qui non modo ut fugerent, sed etiam ipsius fugae uitam uiam quaesierunt, his uis adhibita non uid. bitur? quid igitur fugiebant? propter metum. quid metuebant? uim uidelicet. potestis igitur priuata negare, cum extrema conceditis? fugisse perterritos confitemini: causam fugae dicitis eandem, quam omnes intelligimus, arma, multitudinē hominū,

incurfionem, atque impetum armorum. haec ubi conceduntur esse facta, ibi uis facta negabitur? At uero hoc quidem iam uetus est, et maiorum exemplo multis in rebus usitatum; cum ad uim faciendam ueniretur, si quos armatos quamuis procul conspexissent, ut statim testificari discederent, optime sponfionem facere possent: ni aduersus edictum praetoris uis facta esset. Ita ne uero? scire esse armatos, satis est ut uim factam probes: in manus eorum incidere, non est satis & ad spectus armorum ad uim probandam ualebit, incurfus & impetus non ualebit? qui abierit, facilius ubi uim factam probabit, quam qui effugerit? at ego dico hoc: si, ut primo in castello Caecinae dixit Aebutius, se homines coegisse, & armasse, neque illum, si eo accessisset, abiturū, statim Caecina discessisset; dubitare uos non debuisse, quin Caecinae facta uis esset. si uero, simul ac procul conspexit armatos, recessisset: eo minus dubitaretis; omnis enim uis est, quae periculo aut decedere nos aliunde cogit, aut prohibet accedere. quod si aliter statueris, uidete, ne hoc uos statuatis, qui uiuus discesserit, ei uim non esse factam, ne hoc omnibus in possessionum controuersis praescribatis, ut consilgendum sibi, & armis decertandum putent; ne, quemadmodum in bello poena ignauis ab imperatoribus constituitur, sic in iudicij deterior causa sit eorum, qui fugerint, quam qui ad extremum usque contenderint. Cum de iure, & legitimis hominum controuersis loquimur, & in rebus uim nominamus: peruenis uis intelligi debet, uidi armatos, qui uis paucos: magna uis est. decessi, unius hominis telo perterritus: deiectus, detrususq. sum, hoc si ita statueris, non modo non erit cur depugnare quisquam posthac possessionis causa uelit, sed ne illud quidem, cur repugnare. sin autem uim sine caede, sine uulneratione, sine sanguine nullam intelligetis; statuetis, homines possessionis cupidores, quam uitae, esse oportere.

## EXPLANATIO

**N**E QUIDEM rarum, & fortasse mendosum. nam aliquid interponi solet. **A**UCTORITATIS uiae? uiri consularis. hunc enim esse arbitror, qui consultus fuit cum Glabrione, anno ante quam Cicero praeturam gessit. & hanc Cicero causam praetorius, ut opinor, egit. **H**VIUS rei? quam commisit Aebutius: siquidem una est actio per hoc interdictum, quo nos utimur, constituta. **A**DVOCATIONEM? aduocatos Caecinae; qui cum in rem praesentem uenissent, metu armorum fugerunt. **A**D UIM faciendam? moribus, non ui, & armis. **V**ENIRETUR, in rem praesentem, communi sententia: ad quam uim faciendam cum Caecina & Aebutius ex conuentu uenissent, non seruauit pactionem Aebutius, & armis usus est. **P**ERTENVIS uis? ea, quae moribus fit: at quae armis, magna. **D**EPVGNARE? pro recuperanda possessione. **R**EPVGNARE. pro tuenda. **S**TATVETIS, homines possessionis cupidores, quam uitae, esse oportere. Caecina, & eius aduocati uitae cupidores quam possessionis, auferunt. uos, si uim esse nullam intelligitis, quae sine caede, uulnere, sanguine fit: statuitis, non debere homines effugere, nisi prius armis decernatur, nec uitae cupidores esse oportere, quam possessionis, sed possessionis, quam uitae.

## ORATIO

**A**GE uero, de uite ipsum habeo iudicem, Aebutius: responde, si tibi uidetur: in fundum Caecinae utrum noluit tandem, an non potuit accedere? cum te obtulisse, & repudiasse dicit, certe hunc uoluisse concedis. potes igitur dicere, non ei uim fuisse impedimento, cui, cum cuperet, eoque consilio uenisset, per homines coactos non sit licitum accedere? si enim id, quod

maxime uoluit, nullo modo potuit: uis profecto quaedam obstiterit, necesse est: aut tu die, quam obrem, cum uellet accedere, non accesserit. Jam uim factam negare non potes: deiectus quemadmodum sit, qui non accesserit, id quaeritur: demoueri enim, & de loc. de loco necesse est cum, qui deiciatur. id autem accidere ei qui potest, qui omnino in eo loco, unde se deiectum esse

esse

esse dicit, numquam fuit? qui si fuisset, & ex eo loco, metu permotus fugisset, cum armatos uidisset; diceret ne esse deiectum? opinor. at tu, qui tam diligenter, & tam callide uerbis controuersias, non aequitate diiudicas, & iura non utilitate communi, sed litteris ex primis, poteris ne dicere deiectum esse eum, qui tactus non erit? quid detrusum dices? nam eo uerbo antea praetores hoc interdicto uti solebant. quid ais? potest ne detrudi quisquam, qui non attingitur? non ne, si uerbum sequi uolumus, hoc intelligamus necesse est, eum detrudi, cui manus afferantur? necesse est, inquam, si ad uerbum rem uolumus adstringere, neminem statueret detrusum, qui non adhibita ui, manu demotus, & actus praeceptis intelligatur. deiectus uero qui potest esse quisquam, nisi inferiorem locum de superiore motus? potest pulsus, fugatus, eiectus denique; illud uero nullo modo potest, deiectus esse quisquam, non modo qui tactus non sit, sed ne aequo quidem, & primo loco. quid ergo? hoc interdictum putamus eorum esse causa compositum, qui se praecipitatos ex locis superioribus dicerent? eos enim uere possumus dicere esse deiectos. an non, cum uoluntas, & consilium, & sententia interdicti intelligatur, impudentiam summa, aut stultitiam singularem putabimus, in uerborum errore uersari, rem, & causam, & utilitatem communem non relinquere solum, sed etiam prodere? an dubium est, quin neque uerborum tanta copia sit, non modo in nostra lingua, quae dicitur esse inops, sed ne in alia quidem ulla, res ut omnes suis certis, ac proprijs, uocabulis nominentur; neque uero quidquam opus sit uerbis, cum ea res, cuius causa uerba quaesita sunt, intelligatur? quae lex, quod senatusconsultum, quod magistratus edictum, quod foedus, aut pactio, quod (ut ad priuatas res redeam) testamentum, quae iudicia, aut stipulationes, aut pacti, & conuenti formula non infirmari, aut conuelli potest, si ad uerba rem desistere uelimus, consilium autem relinquamus? sermo, hercule, & familiaris, & quotidianus non cohaerebit, si uerba inter nos aucupabimur. denique imperium domesticum nullum erit, si seruulis hoc nostris concesserimus, ut ad uerba nobis obediunt, non ad id, quod ex uerbis intelligi possit, obtemperent. exemplis nunc uti uidebitur mihi necesse est harum rerum omnium. non occurrit unicuique uestrum aliud alij in omni genere exemplum, quod testimonio sit, non ex uestris totum pendere ius, sed uerba seruire hominum consilijs, & auctoritatibus? ornate, & copiose L. Crassus, homo longe eloquentissimus, paullo ante quam nos in forum uenimus, iudicio centumuirali hanc sententiam defendit; & facile, cum contra eum prudentissimus homo Q. Mucius diceret, probauit omnibus, M. Curium, qui heres institutus esset ita, mortuo postumo filio, cum filius non modo non mortuus, sed ne natus quidem esset, heredem esse oportere. quid? uerbis satis hoc cautum erat? minime. quae res igitur ualuit? uoluntas. quae si, tacitis nobis, intelligi posset, uerbis omnino non uteremur: quia non potest, uerba reperta sunt, non quae impedirent, sed quae indicarent uoluntatem. Lex usum fundi iubet esse biennium. at utimur eo iure in aedibus, quae in lege non appellantur, si uia sit immunita, iubet, quae uelit agere iumentum.

potest hoc ex uerbis intelligi, licere, si uia sit in Bruttijs immunita, agere, si uelit, iumentum per A. Scauri Tusculanum. actio est in auctorem praesentem his uerbis: Quandoquidem te in iure conspicio. hac actione Appius illae Caecus uti non posset, si tam uere homines uerba consecrarentur, quam rem, cuius causa uerba sunt, non considerarent. Testamento si recitatus heres esset pupillus Cornelius; isq. iam annos xx haberet; uobis interpretibus amitteret hereditatem? ueniunt in mentem mihi permulta, uobis plura certo scio. uerum, ne nimium multa complectamur, atque ab eo, quod propositum est, longius aberret oratio; hoc ipsum interdictum, de quo agitur, consideremus. intelligetis enim in eo ipso, si in uerbis ius constituamus, omnem utilitatem nos huius interdicti, dum uersuti & callidi uolumus esse, amissuros. Vnde. TV. AVT FAMILIA. AVT. PROCURATOR. TVVS. Si me uillicus tuus solum deiecisset; non familia deiecisset, ut opinor, sed aliquis de familia; recte igitur diceret te restituisse? quippe: quid enim facilius est, quam probari is, qui Latine sciatur, in uno seruulo familiae nomen non ualere? si uero ne habeas quidem seruum praeter eum, qui me deiecerit; clames uidelicet, Si habeo familiam, a familia mea fac eor te esse deiectum. neque dubium est, quin, si ad rem iudicandam uerbo ducimur, non rem familiam intelligamus, quae constet ex seruis pluribus, quin unus homo familia non sit. uerbum certe hoc non modo postulat, sed etiam cogit. At uero ratio iuris, interdicti quis, & praetorum uoluntas, & hominum praedentium consilium, & auctoritas respuat hanc defensionem, & pro nihilo putet. Quid ergo? isti homines Latine non loquuntur? immo uero tantum loquuntur, quantum est satis ad intelligendam uoluntatem: cum sibi hoc proposuerint, ut, siue me tu deieceris, siue tuorum quispiam, siue seruorum, siue amicorum, ut seruos non numero distinguant, sed appellent uno familiae nomine; de liberis autem, quisquis est, procuratoris nomine appelletur: non quo omnes sint, aut appelletur procuratores, qui negotij nostri aliquid gerant: sed in hac re, cognita sententia interdicti, uerba exquiri omnia noluerunt. non enim alia causa est aequitatis in uno seruo, & in pluribus: non alia ratio iuris in hoc genere duntaxat, utrum me tuus procurator deiecerit is, qui legitime procurator dicitur omnium rerum eius, qui in Italia non sit, ab sit ue reip. causa, quasi quidam paene dominus. hoc est alieni iuris uicarius; an tuus colonus, aut uicinus, aut cliens, aut libertus, aut quiuus, qui illam uim, deiectionemq. tuo rogatu, aut tuo nomine fecerit. quare, si ad eum restituendum, qui ui deiectus est, eandem uim habet aequitatis ratio: ea intellecta, certe nihil ad rem pertinet, quae uerborum uis sit, ac nominum. tam restitues, si tuus me libertus deiecerit, nulli tuo praeposito negotio, quam si procurator deiecerit: non quo omnes sint procuratores, qui aliquid nostri negotij gerunt: sed quod in hac re quaeri nihil attinet. tam restitues, si unus seruulus, quam si familia deiecerit uniuersa: non quo idem sit seruulus, quod familia; uerum quia, non quibus uerbis quidque dicatur, quaeritur, sed quae res agatur. Etiam ut iam longius a uerbo decedamus, ab aequitate ne tantulum quidem: si tuus seruus nullus fuerit, & omnes alieni ac mercenarij, tamen & ipsi tuae familiae & genere, & nomine continebuntur.

## EXPLANATIO

**D**IMOVERI enim, & Aebutij ratio. QVOD si fuisset, & Ciceronis confutatio. SI AD uerbum rem uolumus attingere, & malim, Attingere: pro, si uolumus a uerbo rem pendere. uel, Attingere explicare, ostendere. NEMINEM Statuere detrusum & sciat lector, Statuere. coniecturam esse nostram: um in antiquis libris legatur Statu. AN dubium est, quin neque & certum est, inquit neque uerborum ullam esse copiam tantam non modo in nostra, quae dicitur esse inops, sed in ulla omnino lingua, res ut omnes suis certis ac proprijs uocabulis exprimantur; neque, si res pateat, uerba esse quaerenda. QVAE dicitur esse inops & uulgi opinionem significat: quam non refellit, causae feruens. at lib. I. de Finibus, Ita sentio, inquit, ut saepe differui Latinam linguam non modo non inopem, ut uulgo putarent, sed locupletio rem etiam esse, quam Graecam. NON cobaerebit, & disunctus erit, interruptus, hians, si, cum una loquimur, attente quaeramus, & aucupemur uerba alia magis alijs, quae rem attingere uideantur. HANC sententiam & pro iure contra uerba. QMVCIVS & pont. max. qui eius collega fuerat in consulatu. Eodem tempore fuit alter Q. Mucius augur, Laelij sapientis gener, L. Crassi, qui nominatur hic, socer: ut infra. M. CVRIVM, & de hac conouerfa lib. I. & II. de orat. in Bruto, in Topicis. LEX usum, & auctoritatem fundi iuberi esse biennium, & iuberi lex, usum fundi esse biennium, ut usucapionis ius acquiratur. Auctorem iure in aedibus, & ut usucapionis ius biennio acquiratur. TVSCVLAVM & longe a Brutijs. VTI non posset, & caecus enim non conspicit. NON confiderarent, & tolle, Non: apertior sententia erit. TERESTITUISS & id est, me non esse deiectum: eundem sensum ex uerbo, Restituere, supra quoque licet colligere, in eo loco: Praetor interdixit, ut, unde deiecisset, restitueret. restituisse se dixit. sponso facta est. Nam il lud, Restituisse se dixit, nihil aliud significat, quam, deiectum a se non esse sic & infra: Si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo praecipitem egeris, iussusq. sis. quem hominibus armatis deieceris, restituere, restituisse te dices? QUIPPE & nihil minus, minime uero. NON ualere? & non accipi de uno seruulo. SI HABEO familiam, & quam quia non habeo, (neque enim seruus unus Familia dici potest) ideo deiectum te nego a familia mea. itaque uerba interdicti ad me non pertinent qui familiam non habeo. HANC defensionem, & Aebutij. ISTI homines & quos dixit hanc defensionem respuere. Obiectio Aebutij, ualere uerba debere contententis apud eos, qui Latine loquuntur. NON enim alia causa est aequitatis in uno seruo, & in pluribus: & quae uis sit ab uno seruo, eadem est, ac si fieret in pluribus. TAM restituues, & tam restituere debebis. PROCURATOR & qui cum maxime differat a colono, a uicino, a cliente, a liberto tuo, cum illi nullo tuo negotio, hic praepositus omnibus sit: non tamen alia ratio iuris est, in hoc genere dumtaxat, utrum ipse me procurator, an, exempli gratia, libertus tuus deiecerit. TAMEN & ipsi & si me tuo iussu deiecerint.

## ORATIO

**P**ERGE porro hoc idem interdictum sequi. HOMINIBUS. COACTIS. Neminem coegeris, ipsi conuenerint sua sponte: certe cogit is, qui congregat homines, & conuocat. coacti sunt ij, qui ab aliquo sunt unum in locum congregati. si non modo conuocati non sunt, sed ne conuenerunt quidem, sed ij modo fuerunt, qui etiam antea, non ut ut fieret, uerum colendi, aut pascendi causa esse in agro consueuerant: defendes, homines coactos non fuisse, & uerbo quidem superabis, me ipso iudice; re autem ne consistes quidem ullo iudice. uim enim multitudinis restitui uoluerunt, non solum conuocatae multitudinis: sed, quia plerumque, ubi multitudi ne opus est, homines cogi solent, ideo de coactis compositum interdictum est: quod etiam si uerbo differre uidebitur, re tamen erit unum, & omnibus in causis idem ualebit, in quibus perspicitur una atque eadem causa aequitatis. ARMATIS. VE. Quid dicemus? armatos, si Latine loqui uolumus, quos appellare uere possumus? opinor eos, qui scutis, telisq. parati, ornatiq. sunt. quid dicitur? si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo praecipitem egeris, iussusq. sis, quem hominibus armatis deieceris, restituere: restituisse te dices? uerba si ualent, si causae non ratione, sed uocibus ponderantur: me auctore dicitur. uincens profecto non fuisse arma

tos eos, qui saxa iacerent, quae de terra ipsi tollerent; non esse arma cespites, neque glebas; non fuisse armatos eos, qui praeteruentes ramum defringerent arboris; arma esse suis nominibus, alia ad tegendum, alia ad nocendum; quae qui non habuerint, eos inermes fuisse uincens: uerum, siquidem erit armorum indicium, tum ista dicitur: inuis indicium cum erit, & aequitatis, caue ista tam frigida, tam iciuna calumnia delitescas. non enim reperies quemquam iudicem, aut Recuperatorem, qui, tamquam si arma militis inspicenda sint, ita probet armatum: sed perinde ualebit, quasi armatissimi fuerint, si reperientur ita parati fuisse, ut uim uitae, aut corpori potuerint afferre. Atque ut magis intelligas, quam uerba nihil ualeant: si tu solus, aut quibus unus cum scuto, cum gladio impetum in me fecisset, atque ego ita deiectus essem; auderes ne dicere, interdictum esse de armatis hominibus. hic autem hominem armatum unum fuisse? non, opinor, tam impudens eses, at qui uide, ne multo nunc sis impudentior: nam tum quidem omnes mortales implorare posses, quod homines in tuo negotio Latine loqui obliuiscerentur; quod inermes armati indicarentur; quod, cum interdictum esset de pluribus, commissa res esset ab uno, unus homo plures esse homines indicarentur. uerum in his causis non uerba ueniunt in iudi-

in iudicium, sed ea res, cuius causa uerba haec in interdico coniecta sunt. uim, quae ad caput, & ad uitam pertinet, restitui sine ulla exceptione uoluerit ea sit plerumque per homines coactos, armatosque. quae si alio consilio, eodem periculo facta sit, eodem iure esse uoluerunt. non enim maior est iniuria, si tua facta nihil, quam si tuus nullius; non si tui serui, quam si alieni, ac mercenarii; non si tuus procurator, quam si uicinus, aut liber

tuus; non si coactis hominibus, quam si uoluntariis, aut etiam assiduis, ac domesticis; non si armatis, quam si inermibus, qui uim habent armatorum ad nocendum; non si pluribus, quam si uno armato: quibus enim rebus plerumque uis fit, eiusmodi haec res appellantur in interdico. si per alias res eadem facta uis est, ea, tamen si uerbis interdico non concluditur, tamen sententia iuris, atque auctoritate retinetur.

## EXPLANATIO

**V**im enim multitudinis restitui uoluerunt, & qui interdictum scripsere, non eos modo, qui a conuocata multitudine deieci essent, sed eos etiam, qui a multitudine restitui uoluerunt. Sic infra: Vim, quae ad caput, & ad uitam pertinet, restitui sine ulla exceptione uoluerunt. ARMATISVE & siue, Armatisue, siue, Armatisq. legas, recte utrumque. est enim infra: Vis fit per homines coactos, armatosq. Est etiam: Si sine armatis, coactisue hominibus. Et ibidem: Sine coactis, armatis ue hominibus. ORNATIO & instructiq. RESTITUISSE te dices? negabis a te esse deiectum? Quo modo accepimus illud supra, Restituisse se dixit: & illud, Recte igitur dices te restituisse? ALIO consilio, non per homines coactos, armatosq. sed alio modo, id est nec a multitudine, nec armis. EODEM iure esse & pariter teneri interdico de ui.

## ORATIO

**V**ENTO nunc ad illud tuum: Non deieci, si non si ui accedere. puto te ipsum, Piso, perspicere, quanto ista sit angustior iniquiorq. defensio, quam si illa uterere: Non fuerunt armati, cum sustibus & saxis fuerunt. Si me hercule mihi, non copioso homini ad dicendum, optio detur, utrum malim defendere, non esse deiectum eum, cui ui et armis ingrediendi sit occursum; an armatos non fuisse eos, qui sine scutis ac sine ferro fuerunt. omnino ad probandum utramque rem uideam infirmam, uigilantiamq. esse: ad dicendum autem, in altera uideam mihi aliquid reperire posse, non fuisse armatos eos, qui neque ferri quidquam, neque scutum ullum habuerunt. hic uero haeream, si mihi defendendum sit, eum, qui pulsus fugatusq. sit, non esse deiectum. Atque illud in tota defensione tua mihi maxime mirum uidebatur, te dicere, iurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere. quod ego, tamen si non nunc primum, neque in hac causa solum audio, tamen admodum mirabar abs te quamobrem diceretur. nam ceteri tum ad istam orationem decurrunt, cum se in causa putant habere aequum, & bonum, quod defendant. si contra uerbis & litteris, & ut dici solet, summo iure contenditur; solent eiusmodi iniquitati boni & aequi nomen, dignitateque opponere. tum illud, quod dicitur, si ueni be, irident: tum au cupia uerborum, & litterarum tendiculas in inuidiam uocant: tum uociferantur, ex aequo & bono, non ex callido uersutoq. iure, rem iudicari oportere: scriptum sequi calumniatoris esse; boni iudicis, uoluntatem scriptoris, auctoritatemq. defendere. in ista uero causa, cum tu sis is, qui te uerbo, litteraq. defendas, cum tuae sint eae partes; unde deiectus es? an inde, quo prohibitus es accedere? eiectus es, non deiectus: cum tua sit haec oratio, fateor me homines coegisse, fateor a mase, fateor tibi mortem esse minutam, fateor hoc interdico praetoris iudicari, si uolueras & ac quietas ualeat. sed ego inuenio interdico uerbum unum, ubi delitescat; Non deieci te ex eo loco, quem in locum prohibui ne uenires. In ista defensione accusas eos, qui

consulantur, quod aequitatis censeant rationem, non uerbi haberi oportere. & hoc loco Scaeuolam dixisse causam apud centumuiros non tenuisse: quem ego antea commemoravi, cum idem factum euer, quod tu nunc; tamen si ille in aliqua causa faciebat, tu in nulla facis; tamen probasse nemini, quod defendit, quia uerbis oppugnare aequitatem uidebatur. cum id miror, te hoc in hac re alieno tempore, & contra quam ista causa postulasset, defendisse: tum illud uulgo in iudicijs, & non numquam ab ingeniosis hominibus defendi mihi mirum uideri solet, nec iurisconsultis concedi, nec ius civile in causis semper ualeat oportere. nam, qui hoc disputant, si id dicunt, non recte aliquid statueri eos, qui consulantur, non hoc debent dicere, iuri civili, sed hominibus stultis obtemperari non oportere: sin illos recte respondere concedunt, & aliter iudicari dicunt oportere, male iudicari oportere dicunt. neque enim fieri potest, ut aliud iudicari de iure, aliud responderi oporteat; nec ut quisquam iuris numeretur peritus: qui id statuat esse ius, quod non oporteat iudicari. At est aliquando contra iudicatum. Primum utrum recte, an perperam & si recte; id fuit ius, quod iudicatum est: sin aliter; non dubium est, utrum iudices, an iurisconsulti uisuperandi sint. Deinde; si de iure uario quippiam iudicatum est: non potius contra iurisconsultos statuant, si aliter pronunciatum est ac Mucio placuit, quam ex eorum auctoritate, si, ut Manilius statuebat, sic est iudicatum. etenim ipse Crassus non ita causam apud centumuiros egit, ut contra iurisconsultos diceret, sed ut hoc doceret, illud, quod Scaeuola defendebat, non esse iuris; et in ea rem non solum; rationes offerret, sed etiam Quae Mucio, socero suo, multumq. peritissimis hominibus auctoribus uteretur. nam, qui ius civile contemnendum putat, is uincula reuellit non modo iudiciorum, sed etiam utilitatis, ut aequo communis. qui autem interpretes iuris uisuperat, si imperitos iuris esse dicit, de hominibus, non de iure civili detrahit: sin peritissimos non putat esse obtemperandum, non homines laedit, sed leges, ac iura labefacit.

factat. quod uobis uenire in mentem profecto necesse est. nihil enim in ciuitate tam diligenter, quam ius ciuile, retinendum. etenim, hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit; nihil est, quod aequabile inter omnes, atque unum omnibus, esse possit. itaque in ceteris controuersis, atque iudicijs, cum quaeritur, aliquid factum, necne sit uerum, an falsum proferatur, & hictus testis subornari solet, & imponi falsae tabulae, non nunquam, honesto ac probabili nomine bono uiro iudici error obijci, improbo facultas dari, ut, cum sciens perperam iudicauit, testimonium, aut tabulas secutus esse uideatur. in iure nihil est eiusmodi, Recuperatores, non tabulae falsae, non testis improbus, denique nimia ista, quae do-

quid agat, quo modo aggrediat iudicem, qua denique digitum proferat, non habet. illud enim potest dici iudici ab aliquo non tam uerecundo homine, quam gratioso: iudica hoc factum esse, aut nunquam esse factum, uel cogitatum: crede huic testi: has comproba tabulas: hoc non potest. Cui filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum, iudica; quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi. non est aditus ad huiusmodi res neque potentiae cuiusquam, neque gratiae. Denique, quo maius hoc, sanctiusque uideatur, ne pretio quidem corrupti iudex in eiusmodi causa potest. iste uester testis, qui ausus est dicere, fecisse uideri eum, de quo ne cuius rei argueretur quidem scire potuisset, ipse nunquam audeat iudicare, deberi uiro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset.

## EXPLANATIO

**S**UMMO iure? quod interdum ab aequitate discedit. **ILLUD** quod dicitur, summo iure, irrident: & uestigia secutus antiquitatis, uel sententiam potius ipsam, repositui, Summo iure: cum in ueteribus libris, si ueni be, scriptum uiderem. **AUCUPIA** uerborum, & iurisperitorum propria, ut homines more auium capiantur. **LITERARVM** tendiculas, & hoc eiusdem generis est. **QUOD** idem faceret, & quod uerborum rationem tantum haberet: quod tu nunc facis. **TVIN** nulla facis: & non soles uerba defendere, aequitatem oppugnare. **DEFENDISSE** aequitatem: cum tua causa tota sit in uerbis, litterisque, posita. **MIMI** mirum uideri solet, & incipit laudare ius ciuile: cum satis copiose ambigua distinxerit. & hoc est, quod ait in Oratore: Ambigua distinximus: ius ciuile laudauimus. **NEC** iurisperitis concedi, & semper oportere. **DE** iure uario & cum duo, pluresue iurisperiti uarie respondissent. **IN** ceteris controuersis, & in quibus non de iure quaeritur, sed de facto. **IMPO**NI & inferri, induci. **IMPROBO** & iudici. **TESTAMENTVM**, & legendum puto, Testimonium: uel, Testem tamen. hic enim testamenti nulla mentio: testis autem supra, infra, nominatur. **NIMIA** ista potentia & in corrupendis iudicijs. **QUI** ESCIT, & iacet, nihil proficit. **CVI** filius agnatus sit, & cui posthumus filius natus sit: quo nato rumpitur testamentum. lib. I. de Orat. **SINE** tutore auctore & siue quo promittere nihil potest: itaque quod promiserit non debetur. pro **MURENA**: Mulieres omnes propter infirmitatem consilij maioris in tutorem potestate esse uoluerunt. **ISTE** uester testis, & Fiducianus Faleula; qui, cum non audisset Oppianici causam, tamen eum condemnauit. supra: In eum quid dicam, nisi id, quod negari, non possit: uenisse in consilium publicae quaestionis, cum eius consilij iudex non esset; & in eo consilio, cum causam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse, sibi non liquere. **FECSSE** uideri eum, & Fecisse, pro, peccasse: quo de genere loquendi supra diximus.

## ORATIO

**O**Rem praeclara, uobisq. ob hoc retinenda. Recuperatores. quod enim est ius ciuile? quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia possit. quod si non modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius adseruatum erit; nihil est, quod quisquam sese habere certum, aut a patre acceptum, aut relictum liberis arbitretur. quid enim refert, aedes, aut fundum relictum a patre, aut aliqua ratione habere bene partum, si incertum sit, quae lumina tua iure mancipij sint, ea possis ne retinere? si parietum communium ius? si ciuili ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest? quid, inquam, prodest fundum habere, si, quae decentissime descripta a maioribus iura finium, possessionum, aquarum, itinerumque sunt, haec perturbationi aliqua ratione, commutari que possunt? mihi crede, maior hereditas que uenit unicuique nostrum in iudicibus a iure, & a legibus, quam ab ijs, a quibus illa ipsa bona relicta sunt. nam, ut perueniat ad me fundus, testamentum alicuius fieri potest: ut retineam quod meum

factum sit, sine iure ciuili non potest. fundus a patre relinqui potest: at usucapio fundi, hoc est finis sollicitudinum, ac periculi litium, non a patre relinquuntur, sed a legibus. aquaeductus, haustus, iter, actus, a patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium a iure ciuili sumitur. Quapropter non minus diligenter ea, quae a maioribus acceptis, publica patrimonialia iuris, quam priuatae rei uestrae retinere debeatis; non solum, quod haec iuri ciuili saepta sunt; sed etiam, quod patrimonium unius incommodo dimittitur, ius amitti non potest sine magno incommodo ciuitatis. In hac ipsa causa, Recuperatores, si hoc nos non obtinebimus, ui armatis hominibus deiectum esse eum, quem ui armatis hominibus pulsum, fugatumque esse constat: Caecina rem non amittet, quam ipsa animo forti, si tempus ita ferret, amitteret: in possessionem in praesentia non restituetur, nihil amplius: populi Res, causa, ciuitatis ius, bona, fortunae, possessionesque in dubium, incertumque reuocabuntur: uestra auctoritate hoc con-

RR Stituetur,

fit uerur, hoc praescribetur; quicum tu possidac de possessione contendes, eum si ingressum modo deieceris, in praedium restituas oportebit; sin autem ingredienti, cum armata multitudine obuius fueris. Et ita uenientem repuleris, fugaris, auerteris, non restituas. tum Statueris uim in caede solum, non in animo libidinis: nisi error appareat, uim non esse factam; iniuriarum delictum esse: qui prohibitus sit, nisi ex eo loco, ubi uestigium impressit, deici neminem posse; iuris retinere sententiam, & aequitatem plurimum ualere oportere, an uerbo ac littera ius omne torqueri. Vos statuite, Recuperatores, utrum utilius esse uideatur. Hoc loco percontumode accidit, quod non adest is, qui paullo ante affuit, & adesse nobis frequenter in hac causa solet, uir ornatissimus, C. Aquilius, nam, ipso praesente, de uirtute eius, & prudentia timidius dicere; quod & ipse pudore quodam afficeretur ex sua laude; & me similis ratio pudoris a praesentis laude tardaret, cuius auctoritati, dictum est, ab illa causa concedi nimium non oportere. non uereor, de tali uiro ne plus dicam, quam uos aut sentiatis, apud uos commemorari uelitis; quapropter hoc dicam, numquam eius auctoritatem nimium ualere, cuius prudentiam populus R. in cauendo, non in decipiendo perspexerit: qui iuris civilis rationem numquam ab aequitate seuererit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo Romano promptam, expositamq. praebuerit: qui uariustus, & bonus uir est, ut natura, non disciplina confidens esse uideatur; ita peritus, ac prudens, ut ex iure civili non scientia solum quaedam, uerum etiam bonitas nata uideatur; cuius tantum est ingenium, ita prompta fides, ut, quid quid inde hauias, purum, liquidumq. te hauiere sentias. Quare permagnam tuis anobis gratiam, cum eum auctorem nostrae defensionis esse dicis. illud autem miror, cur nos aliquid contra me sentire dicatis, cum eum auctorem uos pro me appelleris, nostrum nominetis. uerumtamen quid ait iste noster auctor? Omnibus quidquid uerbis actum pronuntiatumque sit. Conueni ego ex isto genere consultorum non neminem, ut opinor, istum ipsum, quo nos auctorem rem istam agere, & defensionem causae constituere dicis: qui cum istam disputationem mecum ingressus esset, non posse probari, quemquam esse deictum, nisi ex eo loco, in quo fuisset; rem, & sententiam interdicti mecum facere fateretur, uerbo me excludi dicebat, a uerbo autem posse recedi non arbitrabatur. cum exemplis ueterer multis, etiam illa materia aequitatis, ab uerbo, & ab scripto plurimis saepe in rebus aequi bonique rationem esse seruandam, semperq. id ualuisse plurimum, quod in se auctoritatis habuisset aequitatisq. plurimum: consulatus est me, & ostendit, in hac ipsa causa nihil esse quod laborarem: nam uerba ipsa sponsonis facere mecum, si uellem diligenter attendere. quo nam,

inquam, modo? quia certe, inquit deictus est Caecina in hominibus armatis aliquo ex loco: si non ex eo loco, quem in locum uenire uoluit, at ex eo certe, unde fugit. quid tum? praetor, inquit, interdixit, ut, unde deictus esset, eo restitueretur, hoc est, quicumque is locus esset, unde deictus est. Aebutius autem, qui faceret aliquo ex loco deictum esse Caecinam, is, quo modo se restituisse dixit, necesse est male fecerit positonem. Quid est, Piso? placet tibi pugnare uerbis? placet, causam iuris, & aequitatis, & non nostrae possessionis, sed omnino possessionum omnium constituere in uerbo ego, quod mihi uideretur, quod a maioribus factum, quod horum auctoritate, quibus iudicandum est, dignum esset, ostendi, id uerum, id aequum, id utile omnibus esse; spectari, quo consilio & quo sententia, non quibus quidque uerbis esset actum. Tu me ad uerbum uocas? Non ante uenio, quam recusaro. n. ego oportere, nego obuium posse, nemo ullam rem esse, quae aut comprehendi satis, aut caueri, aut excipi possit, si aut praeterito aliquo uerbo, aut ambigue posico, sententia & re cognita, non id, quod intelligitur, sed id, quod dicitur, ualuit. Quoniam satis recusanti, ueniam quo uocas. Quaero abs te, si me deictus, non de Fulcanio fundo: neque enim praetor, si ex eo fundo essem deictus, ita me restitui iussit, sed eo, unde deictus essem, sum ex proximo uicini fundo deictus, qua adibam ad istum fundum: sum de uia, sum certe alicunde, siue de privato, siue de publico: eo restitui sum iussu: restituisse te dixisti: nego me ex decreto praetoris restitutum esse. quid ad haec dicimus? aut tuo, quem admodum dicitur, cladio, aut nostro, defensionis tuae beneficiatur, necesse est. si ad interdicti sententiam confugis, & de quo fundo actum sit tum, cum Aebutius restituere iubebatur, id quaerendum esse, dicis, neque aequitate rei, nebi laqueo capi putas oportere: in meis castris, praesidium queraris: mea, mea est ista defensio; ego hoc uociferor, ego omnes homines deoq. restor, cum maiores uim armatam nulla iuris defensione texerint, non uestigium eius, qui deictus sit, sed factum illius, qui deiecerit, in iudicium uenire; deictum esse, qui fugatus sit; uim esse factam, cui periculum mortis sit in iudicium, istum locum fugis, & reformidas: & me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas uerborum angustias, & ad omnes litterarum angulos reuocas. in ijs ipsi intercludere insidias, quas mihi conaris opponere. Non deieci, sed eieci. Peracutum hoc tibi uideatur: hic est mucro defensionis tuae: in eum ipsum causam tuam incurrat, necesse est, ego enim tibi refero. Si non sum ex eo loco deictus, quo prohibitus sum accedere, at ex eo sum deictus, quo accessi, unde fugi. si praetor non distinxit locum, quo me restitui iuberet, & restitui iussit, non sum ex edicto restitutus.

## EXPLANATIO

QVAE lumina? in aedibus: unde Obstruere luminibus. IURE mancipij sint, & eo iure, quo perpetua possessio datur: quod ius dominij dicitur. Lucretius: Vitaq. mancipio nulli datur, omnibus uis. SI PARIETUM communium ius, civilia publica lege? nam, si lex uincit gratia, parietum communium ius teneti non potest. RATA auctoritas? fitma possessio, certum possidendi ius. TUM statueris, & totus hic uerborum ambitus uarie mendis inquinatus est, nec opem afferunt antiqui libri. C. AQUILIVS, & Gallus, clarus iurisperitus, de quo diximus in oratione pro Quinctio, nam in ea causa

Causa iudex fuit. DICTVM est ab illa causa, & ab ijs, qui causam illam defendunt. **CONCEDI** enim *non oportere*, & supra: illud in tota defensione tua mihi maxime mirum uidebatur, redicere, iuriconsultorum auctoritati obtemperare non oportere. **IN CAVENDO** & cauere iuriconsulti proprie dicuntur. ad Trebatium: Tu, qui alijs cauere soles, ab effedarijs ne decipiaris, caueto. **QUI ITA** iustus, & bonus uir, ut ut nature, non disciplina, consultus esse uideatur; ita peritus, ac prudens, ut ex iure civili non scientia solum quaedam, sed bonitas nata esse uideatur: & profecto nihil hac figura iucundius: nec est, ut eum, nisi excellenti praeditus ingenio, excogitare quisquam possit. Exemplum unum & alterum obseruauimus, primum in Quinctiana alterum lib. III in Verrem. Primum est de Roscio Comoedo: Cum artifex ciuitatis modi sit, ut solus dignus uideatur esse, qui in scena spectetur: tum uir eiusmodi est, ut solus dignus uideatur, qui eo numquam accedat. In Verrem: utar teste: quo: L. Verrio Chlone, homine equestri ordinis honestissimo, atque ornatissimo: qui isti ita amicus, & necessarius est, ut, etiam si uir bonus non esset, tamen, quod contra istum diceret, graue uideretur; ita uir bonus est, ut, etiam si inimicissimus isti esset, tamen eius testimonio credi oporteret. **PRVDENS**, & iurisciuilis **NOSTRAE defensionis** & sic legendum uidetur, non, Vestrae: cum supra dictum sit, **Qui adesse nobis frequenter in hac causa solet**. **OMNIBVS** quid quid uerbis & defenduntur hic uerba contra aequitatem. **QVO** nos auctore & non, Aquilium, sed alium iuriconsultum, de quo proxime dixi: Conueni ego ex isto genere consultorum non neminem. **ETIAM** *U. materia aequitatis* & legabat accerrimi uir ingenij, Octauius Pantagathus, & omni memoria antiquitatis quod sententiam sane percommodam habet: neque tamen sic ea delector, ut consulandos non censeam ueteres libros. **QVO** modo *seruasse dixit*, & dixi supra, cum Aebutius, restituisse se dixit, id significare, deiectum a se Caecinam non esse. **NEGO** oportere, & spectari uerba. **OBSTINERE** & defendi **RESTITUISSE** *te dixisti*: & ex decreto praetoris ita respondit Aebutius, quasi paruisset decreto praetoris: cum, a se deiectum non esse Caecinam, significaret. **DE QVO** fundo & negas enim deiectum esse Caecinam de fundo, quo uoluit accedere: deiectum ais de propinquo fundo. **VERBI** *liquet*, & quia scriptum est in interdico, ut, unde deiectus est Caecina, eo restituatur, quem tu laqueum capiendae aequitatis appellas: quo eo uerbo Caecinam restitui uelut in eum fundum, quem suum esse dicit. **TIBI** refero: & sic tibi respondeo: contra te hoc affero: Eodem modo locutus est pro Quinctio: Quid a nobis autem, C. Aquilli, refertur? **NON SVM** ex edicto restitutus. & non paruit decreto Aebutius: non me restituit.

## O R A T I O

**VELIM** Recuperatores, hoc totum si uobis uerfutius, quam mea consuetudo defendendi fert, uidebitur, sic existimeris, primum, alium non me excogitasse; deinde, huius rationis non modo non inuentorem, sed ne probatorem quidem esse me: id quod me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensionem retulisse: me pro meo posse iure dicere: neque in hac re, quam ego protul, quaeri oportere, quibus uerbis praetor interdixit, sed de quo loco sit actum, cum interdixit, neque in utriusque spectari oportere, in quo loco sit facta uis, uerum sit ne facta: te uero nullo modo posse defendere; in qua re tu uelis, uerba spectari oportere: in qua re nolis, non oportere. Verum tamen e quid mihi responderetur ad illud, quod antea dixi, non solum re, & sententia, sed uerbis quoque hoc interdico ita esse compositum, ut nihil commutandum uideretur? Attendite diligenter, quaeso, Recuperatores: est enim ueluti ingenij non meam, sed maiorum prudentiam cognoscere. non enim sum id dicturus, quod ego inuenirim, sed quod illos non fugerit: cum de ui interdicitur, duo genera causarum esse intelligebant, ad quae interdico pertineret; unum, si qui ex eo loco, in quo esset; alterum, si ab eo loco, quo ueniret, unde deiectus esset. et horum utrumque, neque praeterea quidquam, potest accidere, Recuperatores. id adeo; si placet, considerate. Si qui meam familiam de meo fundo deiecerit, ex eo me loco deiecerit. si qui mihi praesto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum, & me introire prohibuerit, non ex eo, sed ab eo loco me deiecerit. ad haec duo genera rerum, unum uerbum, quod satis declararet utrasque res, inuenierunt, ut, siue ex fundo, siue

a fundo deiectus essem, uno atque eodem interdico restituerer. **VNDE**. VI. hoc uerbum, unde, utrumque declarat, & ex quo loco, & a quo loco, unde deiectus est Cinna? ex urbe, unde deiectus Carbo? ab urbe, unde deiecti Galli? a Capitolio. unde qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. uideris igitur hoc uno uerbo significari res duas, & ex quo, & a quo loco. Cum autem eo restitui iubet, ita iubet; ut, si Galli a maioribus nostris postularerent, ut eo restituerentur, unde deiecti essent, & alia qua ui hoc assequi possent; non, opinor, eos in cuniculum, qua aggressi erant, sed in Capitolium restitui oporteret. hoc enim intelligitur: unde deiecti, siue ex quo loco, siue a quo loco, eo restituas, hoc iam simplex est, in eum locum restituas: siue ex hoc loco deiecti, restitue in hunc locum: siue ab hoc loco, restitue in eum locum, non ex quo, sed a quo deiectus. ut, si qui ex alio, cum ad patriam accessisset, tempestate subito reiectus, optaret, ut, unde esset deiectus, eo restitueretur; hoc, opinor, optaret, ut, a quo loco deiectus esset, in eum se fortuna restitueret, non in solam, sed in ipsam urbem, quam petebat: sic (quoniam uim uerborum necessario similitudine rerum aucupamur) qui postulat, ut a quo loco deiectus est, eo restituat, hoc postulat, ut, unde deiectus est, eo restituatur. cum uerba nos eo ducunt, tum res ipsa hoc sentire, atque intelligere cogit. Etenim, Piso, (re deo, nunc ad illa principia defensionis meae) si quis te ex aedibus tuis ut hominibus armatis deiecerit, quid ages? opinor, hoc interdico, quo nos uti sumus, persequere. quid? si qui iam de foro redeuntem armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit, quid ages? utere eodem interdico. cum igitur praetor interdixerit,

R R 2 terdixerit,

perdiderit, unde deiectus es, ut eo restituaris; tu hoc idē quod ego dico, & quod perspicuum est, interpretabere, cum illud uerbum. Unde in utramque rem ualeat, eoque tu restitui sis iussus, tū te in aedes tuas restitui oportere, si euestibulo, quam si ex interiore aedium parte deiectus sis. Ut uero, iam, Recuperatores, nulla dubitatio sit, siue rem, siue uerba spectare uultis, quin secundum nos iudicetis: exoritur hic, iam obrutis rebus omnibus & perditis, illa defensio, cum deijci posse, qui tum possideat; qui non possideat, nullo modo posse: itaque, si ego sim a tuis aedibus deiectus, restitui non oportere: si ipse sis, oportere. Numera, quam multa in ista defensione falsa sint, Piso, Ac primum illud attende, te iam ex illa ratione esse depulsum, quod negabas quemquam deijci posse, nisi qui in eo loco esset: nunc iam posse concedis: eum, qui non possideat, negas deijci posse. cur ergo aut in illud quotidianum interdictum, Unde ille, me ui deiecit, additur, Cum ego possiderem, si deijci nemo potest, qui non possidet: aut in hoc interdictum, De hominibus armatis, non additur, Si oportet quaeri, possederit, nec ne? Negas deijci, nisi qui possideat. ostendo, si sine armatis, eoque ue hominibus deiectus quisquam sit, eū, qui fateatur se deiecit, uincere sponsonem, si ostendat eum non possedisse. Negas deijci, nisi qui possideat. ostendo, ex hoc interdicto, De armatis hominibus, qui possit ostendere non possedisse eum, qui deiectus sit, condemnari tamē sponsonis necesse esse, si fateatur esse deiectum. Dupliciter homines deijciuntur, aut sine coactis, armatis ue hominibus, aut per eiusmodi rationē, ac uim. ad duas dissimiles res duo deuineta interdicta sunt. in illa ui quotidiana non satis est posse docere se deiectum, nisi ostendere possit, cum possideret, tum deiectum. ne id quidem satis est, nisi docet ita se possedisse, ut nec ui, nec clam, nec praecario possederit. itaque is, qui se restituisse dicit, magna uoce saepe, confiteri solet, se ui deiecit. uerum illud addit, non possidebat: uel etiam, cum hoc ipsum concessit, uincit tamen sponsonē, si planum fuerit, ab se illum aut ui, aut clam, aut praecario possedisse. Videtis ne, quot defensionibus eum, qui sine armis, ac multitudine uim fecerit, uti posse maiores uoluerunt? hanc uero, qui ab iure, officia, bonis moribus ad ferrum, ad arma, ad caedem confugerit, nudum in causa destitutum uidetis: ut, qui armatus de possessione contendisset, inermis plane de sponsonem certaret. Ecquid igitur interest, Piso, inter haec interdicta? ecquid interest, utrum hoc additum, cum Caecina possideret, nec ne? ecquid te ratio iuris, ecquid interdictorum dissimilitudo, ecquid auctoritas maiorum commouet? si esset additum, de eo quaeri oporteret; additum non est, tamen oportebit? Atque ego in hoc Caecina non defendo. possedit enim Caecina, Recuperatores: id tametsi extra causam est, percurram tamen breui, ut non minus hominem ipsum, quam ius commune defensum uelitis. Caesenniam possedisse propter usum fructum non negas. qui colonus habuit conductum de Caesennia fundum, cum idem ex eadem conductione, fuerit in fundo, dubium est, quin, si Caesennia tum possidebat, cum erat colonus in fundo, post eius mortem heredes eodem iure possederit. Deinde, ipse Caecina, cum circuiret, praedia, uenit in istum fundum, rationes a colono accepit. sunt in eam rem testimonia. Postea, cur Acbuti de isto potius fundo, quam de alio, si quem habes, Caecinae denunciabas, si Caecina non possidebat? Ipse

porro Caecina cur se moribus deduci uolebat, id quod tibi de amicorum, etiam de ipsius C. Aquilij sententia respondet? At enim Sulla legem tulit. Ut nihil de illo tempore, nihil de calamitate reip. querar; hoc tibi respondeo; adscripsisse eundem Sullam in eandem legem, si quid ius non esset rogari, eius ea lege nihilum rogatum. quid est, quod ius non sit, quod populus iubere, aut uetare non possit? ut ne longius abeam, declarat ista adscriptio esse aliquid: nam, nisi esset, hoc in omnibus legibus non adscriberetur. sed quaero abs te, putes, ne, si populus iusserit me tuum, aut item te meum seruum esse, id iussum ratum atque firmum futurum? perspicis hoc nihil esse, ut in ceteris, quae rogauit, primum illud concedis, nō, quid quid populus iusserit, ratum esse oportere: deinde nihil rationis offers, quam obrem, si libertas adimi nullo modo possit, ciuitas possit. nam & eodem modo de utraque re traditum nobis est: & si semel ciuitas adimi potest, retineri libertas non potest. qui enim potest iure Quiritum liber esse is, qui in numero Quiritum non est? atque ego hanc adolescentulus causam, cum agerem contra hominem dissimilimum nostrae ciuitatis Cottam, probaui. Cum Arretinae mulieris libertatem defenderem; & Cotta decemuiris religionem iniectisset, non posse sacramentum nostrum iustum iudicari, quod Arretinis adempta ciuitas esset; & ego uehementius contendissem, ciuitatem adimi non potuisse: decemuiri prima actione nō iudicauerunt, postea, re quae sita, & deliberata, sacramentum nostrum iustum iudicauerunt, atque hoc & contradicente Cotta, & Sullam iustum iudicatum est. Tam uero in ceteris, ut omnes, qui in eadem causa sunt, & lege agant; & sum ius persequantur; & omnes iure ciuili sine cuiusquam aut magistri stratus, aut iudicis, aut periti hominis, aut imperiti dubitatione utantur; quid ego commemorem? dubium nemini uestrum est. certe, quaeri hoc sceleris, me non praeterit, (ut ex me ea, quae tibi in mentem nō ueniunt, audias) quemadmodum, si ciuitas adimi non possit, in colonias Latinas saepe nostri ciues profecti sunt. aut sua uoluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre uoluissent, tamen manere in ciuitate potuissent. Quid? quem pater patratu dedit, aut suum pater, populus ue uendit, quo is iure amittit ciuitatem? ut religione ciuitas soluat, cuius R. traditur, qui cum est acceptus, est eorum, quibus est deditus, si nō accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram causam, & ius ciuitatis. Si pater uendit, eum, quem in suam potestatem susceperat, ex potestate dimittit. Tam populus cum eum uendit, qui miles factus non est, non admittit ei libertatem, sed iudicat non esse eum liberum qui, ut liber sit, adire periculum noluit. cum autem incensum uendit, hoc iudicat; cum ij, qui in seruitute iusta fuerint, censu liberentur, eum, qui, cum liber esset, cenferi noluerit, ipsum sibi libertate abiudicasse. quod si maxime ijsce rebus adimi libertas, aut ciuitas potest non intelligunt, qui haec commemorant, si per has rationes adimi maiores posse uoluerunt, alio modo noluisse. nam, ut haec ex iure ciuili protulerunt, sic afferant uelint, quibus lege aut Romana ciuitas, aut libertas eripita sit. nam, quod ad exsilium attinet, perspicue intelligi potest quale sit. exsilium enim nō supplicium est, sed profugium, portusque supplicij. nam, qui uolunt poenam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum uertunt, hoc est sedem, ac locum mutant. itaque nulla in lege



lege nostra reperiretur, ut apud ceteras ciuitates, malefium ullum exilio esse multatum, sed, cum homines vincula, necesse, ignominiasque utant, quae sunt legibus constitutae, confugiunt, quasi ad aram, in exilium: qui si in ciuitate legis vim subire uellent, non prius ciuitatem, quam uitam amitterent; quia nolunt, non

adimitur is ciuitas, sed ab his relinquitur, atque deponitur, nam, cum ex nostro iure duarum ciuitatum nemo esse possit, cum amittitur haec ciuitas denique, cum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam ciuitatem.

## EXPLANATIO

**A**LIVM, § eum, de quo supra dixit: Conueni ego ex isto genere iuriconsultorum non neminem. **A**C. CINNA § quem Octavius collega urbe expulit. **EX VRBE** § in qua erat. **VNDE deiecisti?** § mendosus locus. legebat Octavius meus, apte, quod ad sententiam attinet, sed coniectura longius ab antiquis libris discendente, **VNDE deieci** Samnites? **AB VRBE** § quo uolebant accedere. **IVBET**, § interdictum. **SIVE ex quo loco, siue a quo loco**, § siue ex eo loco, ubi esset; siue ab eo loco, quo uellet accedere. **AUCUPAMVR** § quaerimus, similibus enim rebus uerborum uis intelligitur. **EXORITVR hic** § pro Aebutio. **IN ILLA ut quotidiana** § uisitata, legitima, quae moribus fit. **CVM possideret**, § quod nisi ostenderet, interdictum illud ei quotidiana non daretur, in quo additur, Cum ego possiderem. **QVI se restituisse dixit**, § hoc loquendi genus quid significetur, supra ostendi. dicebat enim is, contra quem esset interdictum, restitui: non quia restituisset, sed ut interdicto praetoris quo restituere uidebatur, paruissse uideretur. **SE VI deiecisse**, § ut quotidiana, moribus facta, sine armis. **AB SE** § non iure, sed opera, malitiaque sua. **INERMIS** § nullo defensionis praesidio manitus. **SI ESSE additum**, § hoc, Cum A. Caecina possideret. **NON defendo**, § cum dico, quaeri non oportere de eo, quod additum in interdicto non est. possum, enim, hac omissa ratione, Caecinam defendere, & dicere, eum possedisse. **EXTRA causam est**, § non enim hoc quaeritur in hoc genere interdicti, utrum possederit, necne neque hanc exceptionem in interdicto praetor addidit, Cum A. Caecina possideret; sed interdixit sine ulla exceptione supra: **P. Dolabella praetor interdixit**, ut est consuetudo, de ui hominibus armatis, sine ulla exceptione, tantum, ut, unde deiecisset, restitueret. **Et: Vim, quae ad caput & ad vitam pertinet**, restitui sine ulla exceptione uoluerunt, **HOMINVM ipsum**, § quem possedisse ostendam. **IUS commune**, § quod satis iam defendisse, mihi uideo in hoc interdicto, in quo de possessione non quaeritur. **DVBIVM est, quin, si Caesennia tum possidebat**, § infirma ratio. possidebat enim ex usufructu, qui morte finitur. itaque non sequitur, ut quae possessio Caesenniae fuit, eadem esse potuerit heredis. **POSTEA** § pro, postremo. **DI ISTO potius fundo, quam de alio**, § quia sciebas, istum a Caecina fundum possideri, ideo ei, nisi eo tibi cederet, denunciabas, id est, possessionem tueri uelle ostendebas. supra: **Homini Romae in foro denuntiat**, fundum istum suum esse, seq. sibi emisse. **AT ENIM Sulla legem tulit**, § ne Volaterrani ciues Romani essent. qua lege priuatus Caecina iure ciuitatis, heres esse Caesenniae non potest, nam peregrinis ciuium Romanorum hereditates adire legibus non licet. **EIVS ea lege nihilum rogatum**, § legum clausula cuius exstat exemplum in ep. ad Att. lib. III. & Phil. I. **VT in ceteris, quae rogauit**, § nihil obscurius, aut etiam nihil mendosius. ueteres libri, **Et ea ceteris que primum**. **COTTAM** § C. Cottam, consularem, qui loquitur adolescens in libris de Orat. **DECEMVIRIS** § qui de libertate iudicabant. pro domo, **QVOD Arretinis adempta ciuitas esset**; § & quibus adempta semel ciuitas esset, ij libertatem retinere non possent. **CIVITATEM adimi non potuisse**: § a Sulla. nam is legem tulit, ut multis municipiis, in quibus Arretini, & Volaterrani fuerunt, ius Romani ciuitatis adimeretur. quod irritum tamen fuit. & ad hunc locum pertinent illa pro domo: **Populus Romanus**, L. Sulla dictatore ferente comitijs centuriatis, municipijs ciuitatem ademit, ademit ijdem agros. de agris ratum est: fuit enim populi potestas: de ciuitate ne tam diu quidem ualuit, quam diu illa Sullani temporis arma uoluerunt. Scripsit etiam ad Att. lib. I. **Volaterranos, & Arretinos**, quorum agrum Sulla publicarat, neque diuiserat; in sua possessione retinebam. **SACRAMENTVM nostrum** § pecunia deposita ab eo, qui petebat, & ab eo, qui infititur, sacramentum dicebatur: ut ex Varrone intelligitur. **Iustum Sacramentum**, aut iniustum iudicare, est, secundum aliquem, aut contra aliquam litem dare. pro domo: **Quin etiam**, si decem uiri sacramentum in libertatem iniustum iudicassent, tamen, quotiescunque uellet quis, hoc in genere solo rem iudicatam, referre posse uoluerunt, **NON iudicauerunt**; § ut in dubia re pronunciarunt, non liquere. **deesse arbitror**, L. ut legatur, **NON L. iudicauerunt**: id est, non liquere. **AT QVAE hoc & contradicente Cotta**, § homine disertissimo. **SULLA uiuo**, § cuius lege adempta municipijs ciuitas cum agris erat: quam, quod ad ciuitatem attinuit, ne ipso quidem Sulla uiuo seruata esse, non hic modo locus, uerum etiam oratio pro domo perspicue demonstrat. **QVI in eadem causa sunt**, § qui sunt ex ijs municipijs, quibus Sulla ciuitatem ademit: **LEGE agant**, § hoc explanatur sequentibus uerbis. **Ius suum persequantur**, est enim, Lege agere, iudicio experiri. **IVRE ciuili utantur**, § eodem iure y quo qui ciues Romani sunt. **DVBITATIONE**, § nemo dubitat, quin iure ciuili recte utantur. **VT EX ME ea, quae tibi in mentem non ueniunt, audias**, festiue

festiue suscipit magistri personam ad irridendum aduersarium . facit idem in Diuin. his uerbis :  
Cognosce ex me , quoniam hoc primum discendi tempus nactus es , quam multa esse oporteat in  
eo , qui alterum accuset . **S**I C I U I T A S adimi non posset , & poterat hoc Aebutius dicere : Si ciui-  
tas adimi non potest , cur in colonias Latinas multi ciues Romani profecti sint ? nam ius ciuitatis  
Romanae cum iure Latij permutare , dementia uideretur . ideo autem profecti , quia ciuitatem Ro-  
manam amiserant . **A**U T sua uoluntate , & confutatio Ciceronis . **L**E G I S multa : & aliquo iudicio  
damnati : cuius infamiam cum non ferrent , maluerunt in Latio iure Latij uiuere , quam Romae  
communi iure ciuium Romanorum . infra : Qui si in ciuitate legis uim subire uellent . &c . **P**A T E R -  
**P**A T R A T V S & unius ex fetialium collegio , qui hostibus ciuem Romanum in potestatem iussu  
populi tradebat , quod pacem cum ijs fecisset , quam populus ratam habere nollet . exemplum a-  
pud Liuium exstat Mancini Numantini . **Q**U I miles factus non est , & qui militiam detractauit ,  
qui citatus non respondit . Valerius Max. lib. VI . **I**N C E N S V M & qui censum uitauit . **L**I B E R E N -  
**T** I V R , & libertatem adipiscantur . **I**S C E r e b u s & quas proxime commemorauit . **E**X I V R E c i u i l i & ex iuris ci-  
uilibus materia , non ex legibus . **A** F F E R A N T u e l i m , & quod afferent numquam : quia factum num-  
quam est .

## O R A T I O

**N**ON me praeterit , Recuperatores , tametsi de  
hoc iure multa praetereo , tamen me longius  
prolapsum esse , quam ratio uestri iudicij postularit :  
ne uel id feci , non quod uos in hac causa hanc de-  
fensionem desiderare arbitraret , sed ut omnes intelli-  
gerent , nec ademptam cuiquam ciuitatem esse , nec  
adimi posse . hoc cum eos scire uolui , quibus Sulla  
uoluit iniuriam facere , tum omnes ceteros nouos , ue-  
teresq. ciues . neque enim ratio afferri potest , cur , si  
cuiquam noua ciui potuerit adimi ciuitas , non omni-  
bus antiquissimis ciuibus possit . nam ad hanc quidem  
causam nihil hoc pertinuisse , primum ex eo intelli-  
gi potest , quod uos ea de re iudicare non debetis ;  
deinde , quod , ut Sulla ipse ita tulit de ciuitate , ut non  
sustulerit horum nexa , atque hereditates : iubet enim  
eodem iure esse , quo fuerint Ariminenses : quos quis  
ignorat duodecim coloniarum fuisse , & a populo R.  
hereditates capere potuisse ? quod si adimi ciuitas A.  
Caecinae lege potuisset , magis illam rationem tamen  
omnes boni quaeremus , quemadmodum spectatissi-  
mum , prudentissimumq. hominem , summo consilio,  
summa uirtute , summa auctoritate domestica praedi-  
tum , leuatum iniuria , ciuem retinere possemus , quam  
ut i nunc cum de iure ciuitatis nihil potuerit deperde-  
re , quisquam existat , nisi tui , Sexte , similis & stul-  
ticia , & impudentia , qui huic ciuitatem ademptam  
esse dicat . qui quoniam , Recuperatores , suum ius  
non deseruit , neque quidquam illius audaciae , petu-

lantiaeq. concessit ; derelinquo communem causam .  
populique . R. ius in uestra fide ac religione depono . is ho-  
mo ita se probatum uobis uestriq. similibus , semper  
uoluit , ut id non minus in hac causa laboraret ; nec  
contenderit aliud , quam ne ius suum dissolute relin-  
quere uideretur ; nec minus ueretur , ne contemneret  
Aebutium , quam ne ab eo contemptus esse existi-  
maretur . Quapropter , si quid extra iudicium est , quod  
homini tribuendum sit , habetis hominem singulari pu-  
dore , uirtute , cognita , & spectata fide , amplissimum  
Etruriae totius , in utraque fortuna cognitum mul-  
tis signis & uirtutis , & humanitatis . si quid in con-  
traria parte in homine offendendum sit , habet eum  
ut nihil dicam amplius , qui se homines coegisse fatea-  
tur . in hominibus remotis de causa quaeritis ; cum  
iudicium de ui sit , is , qui arguitur , uim se hominibus  
armatis fecisse fateatur ; uerbo se , non aequitate de-  
fendere conetur , id quoque ei uerbum ipsum ereptum  
esse uideatis ; auctoritatem sapientissimorum homi-  
num facere nobiscum ; in iudicium non uenire , utrum  
Caecina possederit , nec ne ; tamen doceri posse discere  
multo etiam minus , quaeri , A. Caecinae fundus sit  
nec ne ; me tamen id ipsum docuisse , fundum esse Cae-  
cinae : cum hac ita sint , statuere , quid uos tempora-  
re ip. de armatis hominibus , quid illius confessio de ui,  
quid nostra decisio de aequitate , quid ratio interditi  
de iure admoceant , ut iudicetis .

## E X P L A N A T I O

**N**I H I L hoc pertinuisse , & quod ab aduersarijs obiectum est . **E**A D E R E & non enim de ciuitate  
te , sed de interdito , cuiusq. uerbis uestrum iudicium est . **H**O R V M & de quibus legem tulit . **N**E  
**X**A , & ut ab alienare possent , quidquid uellent , per nexum , id est per aes & libram , ut ait Varro  
**D**U O D E C I M coloniarum & quae in Italia deductae sunt lege M. Liuij tribuni pl. collegae C. Gracchi . **P**l u  
tarchus , **A** p p i a n u s . **F** u i s s e ; & non , inter duodecim colonias fuisse , ( nam illae deductae sunt in Italia ,  
Ariminum autem in Gallia . & Ariminum annis multis ante duodecim ) sed eodem iure fuisse , quo fue-  
re duodecim coloniae . **P** R U D E N T I S S I M V M , & ne bis idem dicatur , cum sequatur , Summo consi-  
lio , malim legere , Prudentissimum . infra : Habetis hominem singulari pudore , uirtute cognita , &  
spectata fide amplissimum . **A** U C T O R I T A T E d o m e s t i c a & inter tuos , in patria eundem in parte Ita-  
liae minime contemnenda nobilissimum uocat , scribens ad eum lib. VI . fam . si modo hic A. Caecina  
ille est . **C** O M M V N E M causam , & de ciuitate : in qua causa non unius Caecinae , sed omnium ciuium  
Romanorum

# In Orationem pro A. Caecina.

319

Romanorum ius agitur. **UT** ID ꝛ ut uobis probatus esset. **NE** *contemnere Aebutium*. ꝛ quo pudor eius, probitasq. cognoscitur. noluit committere, ut uel ab Aebutio contemptus esse, uel ipse eum contempnisset uideretur: itaque diligenter suum ius persecutus est. **EX**TRVRIAE *nomine totius* ꝛ Nomine, mendosum est. &, quamquam sententia patere satis uidetur, diuinatione tamen ueritatem aucupari non ausim. **V**IRTVTIS ꝛ in aduersa fortuna, cuius libus bellis. **H**UMANITATIS ꝛ in prospera. interpretatur enim illud, in utraque fortuna. **V**ERBO ꝛ cum dicat, Eieci, non deieci: **E**REPTVM ꝛ a me: cum docuerim eandem rem utriusque uerbo subesse. **S**APIENTISSIMORVM *hominum* ꝛ iurisperitorum. **P**OSSEDERIT, *necne*, ꝛ haec enim exceptio non est in interdicto. **T**EMPORA *reip.* ꝛ recenti bellorum civilium memoria. **Q**UID *illius confessio de ui*, ꝛ non, Confessio de ui, sed, Confessio de ui admoneat. ad eum enim uerbum, Admoneant, haec omnia referuntur, De hominibus armatis, De ui, De Acquitate, De iure. **D**E C I S I O ꝛ explicatio uerborum. **D**E A E Q U I T A T E, ꝛ admoneat.

F I N I S.





# INDEX RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS

quae in primo Ciceronis Orationum volumine continentur

<p><b>A</b>  <b>A</b>binunt te ad                  leſcētia. pag. 82                  ab initio. 39                  abigere gre-                  ges equarū.                  154                  abducere aliquem ab inſtitutis, co-                  git ationibusque ſuis. pag. 94                  abducere aliquem a natura, a pa-                  ternis viijs, atque a generis ſimi-                  litudine. 213                  abducuntur homines non numquā                  ab inſtitutis ſuis magnitudine                  pecuniae. 154                  abſe a culpa. 48                  abſeſſe longe ab aliquo crimine. 55                  abſeſſe plurimum ab aliqua ſuſpi-                  cione. 161                  ab hinc an. XIII fuiſſe cōſulē. 124                  ab hinc duos &amp; xx. annos eſſe mor-                  tuum patrem. 155                  abhorret iudicij diſcrimen ab opi-                  nione tua. 194                  abhorret longe ab hac re mea ratio,                  ac voluntas. 152                  abijcere ad terram aliquam virginis,                  &amp; verberibus. 280                  abigere greges equarum. 122                  abijt ab illo pecunia. 161                  abijt res ab illo. 144 &amp; 212                  abijt ille a iure. 139                  abjudicare rationem veritatis, in-                  ſegritatis, fidei, religionis ab or-                  dine ſenatorio. 117                  abradere aliquid ab aliquo terrore                  litium. 304                  abripere e complexu filios. 118                  abripere aliquem in vincula, &amp; te-                  nebras. 163                  abrogare magiſtratum alicui. 175                  abrogare ſide iuriſiurandi teſtib. 75                  abſentes homines in prouincijs no-                  rei ſtant verum capitalium, ſta-                  nuntur a ſenatu. 167                  abſoluere. --- Ab ab aliquo homi-                  ne iudicio ſe abſoluere. 73                  ab aliquo hoie iudicio abſolui. 74                  abſoluti iudicio. 73                  abſoluti omnibus ſententijs. 248                  abſtinere manus a Capitolio. 172                  abſtinere manus a turba. 135                  abſtinere manus, animoſq. a ſcele-                  re. 112                  abſtinere manus, et cupiditatem ab                  aliqua re. 235                  abſum. Vide, Abſeſſe.                  abſumere tempus dicēdo. 16                  abſurdum auribus, animiſq. homi-                  num. 71                  abundare vaſis argenteis. 171                  abuti fortunis hoīu ad aliqd. 281                  abuti aliquo conſeſſo, &amp; conueni-                  pro ſumma ſolitudine. 49                  abuti alterius ornamentis pro ſpo-                  lijs. 31                  abuti nomine inimici in alicuius                  periculo. 169                  abuti iudicio, ac legibus ac qua-                  ſum, atque ad libidinem. 48                  abuti omni tempore, quod lege con-</p>	<p>ceſſum eſt. 112                  accedere ad temp. 37                  accedere ad cauſam. 84 &amp; 85                  accedere ad alienam cauſam. 88                  accedere ad periculum. 99                  accedere ad alicuius condicio-                  nes, &amp; paſſiones. 197                  accedere ad illam rationem. 28                  accedere alicui ad aurem. 209                  accedere veluti cumulus. 38                  accedere proxime ad. 151                  accedit eodem. 53                  accenſus eſſe alicui. 131                  accenſi. 155                  accedere pernicies fortunae omniū.                  117                  accedere. --- Si quod tempus acci-                  diſſet. 81                  accedere ad oculos, animumq. 229                  accedere caſu, ut quis aliquid ſa-                  ciat. 55                  accidit illi aliqua calamitas. 206                  accipere ab reo ſcelus eſt. quanto                  magis ab accusatore. 165                  accipere pecuniam ob rem iudican-                  dam, turpiſſimū eſt, maximeq.                  nefarium. 165                  accipere hos in bonam partem. 47                  accipere contumeliam. 161                  accipere iniuriam. 15                  accipere ignominiam &amp; calamita-                  tem. 168                  accipere plagam. 209                  accipere vulnus. 288                  accipere leniter, &amp; clementer ali-                  quem. 246                  accipere male uerboſi alicquem. 144                  accipere teſtimonium publicum, &amp;                  mandata contra aliquem. 152                  accipere certiffimum argumentū. 154                  accipere iudicium in ea ipſa verba,                  quae aduerſarius edat. 114                  accipere alicquem libentiſſime ſuis                  ſeſibus. 284                  ſatis Accipere, Vide Satis.                  acceptam facere ſponſionem. 210                  acceptum reſerre. 180                  acciti alicuius euocari. 196                  accommodatio magiſtratum. 221                  accommodatus ad tempus. 150                  accommodatus ſaluti, fortunaiſq.                  omnium. 82                  accuſare.                  qui Alterum accuſant, magnum                  onus tollunt, magnum negotiū                  ſuſcipiunt. 185                  accuſant, ij diſligentiſſime, &amp; laborio-                  ſiſſime, qui ſeipſos in diſcrimē exi-                  ſtimationis venire arbitrant. 100                  Quam multa eſſe oporteat in eo,                  qui alterum accuſet. 88                  accuſare diſpoſite. 176                  accuſare inter ſcarios. 54                  accuſare in iudicio. 54                  accuſare gloriae, &amp; oſtantaſionis                  cauſa. 164                  accuſator quae facere poſſe deat. 92                  accuſator quantum onus ſubeat. 185                  accuſatori quae vitia vitanda ſint. 185                  accuſatores non minus de laude,</p>	<p>de honore, de fama ſua, quam                  qui accuſantur de capite, ac for-                  tunis ſuis, ptimeſcere debent. 160                  accuſatores ſolent in reos multa                  turpia &amp; flagitioſa dicere. 297                  facile omnes patimur Accuſatores                  plurimos eſſe, quod innocens ſi                  accuſatus ſit, abſoluti poteſt; no-                  cent, niſi accuſatus fuerit, con-                  demnari non poteſt. 48                  accuſatorum alij anſeros, alij, ca-                  nes. 48                  accuſator firmus, &amp; uerus. 89                  accuſator mutus. 56                  accuſatoris negligentia. 49                  accuſatoria conſuetudo. 260                  accuſatorio aliquid dicere. 181                  accuſatorie cum aliquo agere. 148                  acerbiffimus luctus. 250                  acquirere moram ad condemnan-                  dum. 302                  Acredina vrbs una ex quatuor,                  ex quib conſtant Syracuſae. 251                  acroama feſtiuum. 239                  actio cōſtituta per interdicitū. 308                  actio in auctorem praefentem. 310                  actio iniuriarum nihil ad cauſam                  profeſſionis. 34                  actio iniuriarum non ius poſſeſſio-                  nis aſſequitur, ſed dolorem im-                  minutae libertatis iudicio poe-                  naq. mitigat. 309                  actionem poſtulare. 162                  actor eſſe cauſae. 86                  actores Graeci. 95                  actus quartus improbitatis. 154                  tranſlatum a comoedia.                  actum eſt. 64                  acutum, &amp; ſuſpicioſum hominum                  genus. 89                  ad Arbitrium alicuius ſcriptum eſt.                  ſe. 139                  ad arbitrium libidinofiſſimae mu-                  lieris ſpoliari. 198                  ad arbitrium ſuum nauigare. 273                  ad arbitrium alicuius poenas ſuſ-                  ferre. 299                  ad arbitrium hominis nequiſſimi                  opus officere. 141                  ad coronam ſe dare populo. 193                  ad diem adeſſe. 168                  ad diem uenire. 225                  ad diem dare ſtumentum, quod                  quis debet. 151                  ad incertum caſum, &amp; euentum                  certum quot annis ſumptum, &amp;                  laborem impendere. 227                  ad inuitationes aduentuſq. amica-                  rum &amp; hoſpitum ſupelleſtilem                  elegantioreſ comparare. 166                  ad manus, atque ad pugnam res                  uenire. 261                  ad nuctum alicuius iudicare. 163                  ad ppēdiculū colūnas exigere. 143                  ad re nō ptinet, atq. etc. an etc. 180                  ad tempus accurrere. 144                  adicere ruſticanam parcimoniam                  nudā cupiditati, ac petulantiae. 33                  addicit alicui bona praetor. 144                  adducere ſundum alicui. 304                  adducere opus H-S DIX. millib. 144                  addictam fidem pretio habere. 165</p>	<p>addictus eſſe alicui. 74                  addictio bonorū poſſeſſionumq. 106                  adducere aliquem in opinionē. 304                  adducere in inuidiam aliquē. 106                  adducere in ius. 16                  adducere in iudicium. 44                  adducitur ut res in diſcrimen. 117                  adduci ad facinus pecunia. 259                  adduci pretio ad hominem condem-                  nandum. 230                  adduci rem in id tempus. 114                  adduci in obliuionem. 114                  adduci in ſermonem, inuidiam, vi-                  ſuperationem. 210                  adductus benignitate. 154                  adductus cupiditate. 192                  adductus difficultate temporis, ma-                  gnitudine pecuniae. 231                  adductus ui, &amp; metu. 178                  adductus ipſo, metu, ui, malo 176                  adductus ui, atque imperio, non of-                  ſicio. 113                  adductus inimicitijs, aut iuriā. 185                  adductus praemio. 185                  adductus officio, ſide, miſericordia,                  multorum bonorum exemplo, ve-                  teri conſuetudine. 82                  adductus ſtudio. 195                  adductus religione. 134                  adductus ad ſupplicium. 131                  adductus in periculum. 131                  adductus in ſummas anguſtias. 8                  adeſa pecunia. 19                  adeſſe ad iudicium. 89                  adeſſe alicui in conſilio. 3                  adeſſe in conſilio. 1e                  adeſſe animo. 306                  adhibere in conuiuium aliquē. 261                  adhibere ad cōuiuium aliquē. 280                  adhibere improbos duces, atque                  aduatores ad ſcelus. 247                  adhibere ſimulationem aliquam                  acquitatis. 159                  adhibere Iouem teſtem ſuae volun-                  tatis, ac religionis. 242                  adhibere vim. 45 &amp; 191                  adhibere vim veritati. 20                  adhibere vim ingenius. 251                  adicere oculum hereditati. 158                  adigere arbitriū pro ſocio, aliquē. 71                  ad ipſei magiſtratus per largitionē.                  175                  adire periculum capitis. 57                  adire hereditatem. 142                  adire ad aliquem. 44                  adiri ad libros Sibyllinos. 249                  aditus ad aliquem ardui ac potius                  intercluſi. 143                  aditus ad aliquos nō ſūt ijde. 213                  aditus ijde a d omnes patent. 213                  aditus non modo diſiunctus, ſed e-                  tiam clauſus. 257                  aditus omnes miſericordiae alicui                  praecluſos eſſe. 260                  aditum facilioreſ ad amicitiam                  alicuius habet nequitia quam                  uirtus. 186                  adiudicare aliquam in ſeruitutem                  deas. 58                  adiumento eſſe. 3                  adiumento, &amp; ornamento eſſe uis.                  125</p>
--	--	--	--